REGULA ET CONSTITUTIONES FRATRUM BEATAE DEI GENITRICIS...


Carmelitani scalzi, Theodorus Stratius



Digitized by Google







Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu


14.24.H.10

REGVLA
ET
CONSTITVTIONES

FRATRVM BEATÆ DEI GENITRICIS
MARIÆ DE MONTE CARMELO
Antiquæ Obſeruantiæ.

A SANCTISSIMO D. DOMINO Noſtro VRBANO PAPA VIII. *Confirmatæ*

AVCTORITATE ET IVSSV REVERENDISSIMI PATRIS THEODORI STRATII totius Ordinis Generalis in lucem editæ eiuſdemque operâ diligenter concinnatæ & elucubratæ.








CADVRCI,
Apud IOANEM DALVY Typographum Regium, Sub ſigno Nominis IESV.
M. DC. XXXVII.





REGVLA

PRIMITIVA

FRATRVM BEATÆ MARIÆ DE MONTE CARMELI AB ALBERTO

Hierosolymitano Patriarcha eis tradita à speculo ordinis fideliter desumpta.



LBERTVS Dei gratiæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in *Christo filiis Brocardo & cæteris Eremitis, qui sub eius obediētia iuxta fontem in mōte Carmeli morantur, in domino salutem & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis sancti Patres instituerunt qualiter quisque in suo ordine fuerit vel quemcunque modum Religiosæ vitæ elegerit in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fi-*

deliter de corde puro, & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis vt iuxtà propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

1. Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem qui ex vnanimi omnium assensu vel maioris & sanioris partis ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare.

2 Prӕterea iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeāt cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius & de assensu aliorum fratrum vel sanioris partis, eadem cellulӕ cuique fuerint assignatӕ.

3 Nec licet alicui fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

4 Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eumdem locum primus occurrat, & de arbitrio & dispositione ipsius postmodum quӕ agenda sunt cuncta procedant.

5 Maneant singuli in Cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

6 Hi qui litteras norunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione sanctorū Patrum, & Ecclesiӕ approbatâ consuetudine

ad horas singulas sunt deputati. Qui verò litteras non norunt, viginti quinque vicibus dicant Pater noster, in Nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis & solemnibus diebus in quorum vigiliis prædictũ numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis: in aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

7 Nullus fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia. Et ex his quæ uobis Dominus dederit distribuatur vnicuique per manum Prioris, id est per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum: ita tamen, vt sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his quæ sibi distributa fuerint singulariter viuant.

8 Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum: vbi manè per singulos dies ad audienda missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commode fieri poterit.

9 Dominicis quoque diebus vel alijs, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis & animarum salute tractetis, vbi etiam excessus & culpæ fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint charitate media corrigantur.

10 *Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis obseruetis, à festo exaltationis sanctæ crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas seu debilitas corporis aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat: quia necessitas non habet legem.*

11 *Ab esu carnium semper abstineatis, nisi infirmitatis & nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ. Quia vero militia est vita hominis, & omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur: aduersarius quoque vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim: Cogitatio sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & tota anima & ex tota virtute diligatis, & proximos vestros tanquam vos metipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim est impossibile placere Deo. & hæc est victoria fides nostra. Galea quoque salutis imponenda est capiti, & de solo saluatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei abundanter habitet in ore & in cordibus vestris. Et quæcunque vobis agenda sunt in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid ope-*

ris, vt semper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intraudi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis ad hoc Beati Pauli Apostoli Magisterium, pariter & exemplũ in cuius ore Christus loquebatur, qui positus est & datus à Deo Prædicator & Doctor Gentium in fide & veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos, nocte ac die operantes ne quem vestrum grauaremus: non quasi nos non habeamus potestatem; sed vt nos metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam siquis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè nihil operantes. His autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via sancta & bona; ambulate in ea. Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum: Et quemadmodum Propheta attestatur, Cultus Iustitiæ silentium est, & rursus in silentio & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt ab hora vespertina vsque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpant. Alio vero tempore licèt silentij non habeatur obseruatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio cauea-

tur: quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multiloquio non deerit peccatum, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis verbis vtitur, lædit animam suam. Et Dominus in Euangelio: De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateră verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, Et silentium, in quo est cultus iustitiæ, diligenter & cautè studeat obseruare. Tu autem Frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & seruetis in opere quod Dominus in Euangelio: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister: Et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum humiliter honorate, Christum potius cogitantes, quam ipsum; qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum præpositis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: vt non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

REGVLA ALBERTI

PROVT AB INNOCENTIO IIII. correcta, declarata, moderata, & confirmata; ex codicibus seu Registris vaticani de verbo ad verbum fideliter desumpta fol. 46. Bulla 239. Anno. 5. Pontificatus Innocentii 4. 1247. Calendis Octobris,

PRIORI ET FRAT. EREMITIS DE M. CARMELI.

QVÆ honorem conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui; sed illa præcipuè, & super quæ Apostolicæ sedis auctoritas salubris prouidentiæ studium noscitur habuisse. Cum itaque nos ad vestræ supplicationis instantiam, per dilectum filium nostrum Hugonem tituli S. Sabinæ Præsbyterum Cardinalem, & venerabilem Fratrem nostrum Guillelmum Anteradensem Episcopum, quædam regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac etiam quædam ipsius grauia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos vestris pijs desiderijs annuẽtes, declarationẽ & correctionẽ ac mitigationẽ huiusmodi, auctoritate Apostolica cõfirmamus, & præsentis scripti patrocinio cõmunimus, Tenorẽ an-

tem litterarũ ipsarum, de verbo ad verbũ, fecimus præsentibus annotari qui talis est. Frater Hugo miseratione diuina tituli Sanctæ Sabinæ Præsbyter Cardinalis & frater Guillelmus eadem miseratione Anteradensis Episcopus, Charissimis in Christo filijs viris Religiosis Priori generali, & diffinitoribus Capituli G. Ordinis Fr. de Carmelo salutẽ in omni salutari. Accedentes ad Apostolicã sedem Fratres Clerici, Reynaldus, & Petrus Ordinis vestri ex parte vestra à Domino Papa humiliter postularunt, vt quædam, quæ in vestro priuilegio, & Regula olim vobis à felicis memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, cõtinentur, dubia declarare, corrigere, ac quædam grauia mitigare misericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa, eorum deuotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, vt declarationem, correctionem, & mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius; secundùm quod bono statui Ordinis & fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestræ. qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus. Regulam à nobis correctam, declaratam & mitigatam prout expedire vidimus, deuote recipientes, eam firmiter obseruetis. & ad instar eiusdem alias vestras regulas corrigatis quam vobis per eosdem Fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma.

Albertus, Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo filijs B.

& Cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem; Et Sancti Spiritus benedictionem. Multifariè multisque modis Sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcunque modum religiosæ vitæ elegerit in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis, Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem qui ex vnanimi omnium assensu vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate & abdicatione proprietatis. Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint, ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. Præterea iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis; singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ: Ita tamen vt in communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis. Nec liceat

alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius, postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in Cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Hi, qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt eas dicant secundum Constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerunt viginti quinque vicibus, Pater noster, dicant in Nocturnis Vigilijs, exceptis Dominicis. & solemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis. In alijs quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter Officia Vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis. Nullus fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia: & distribuantur vnicuique per manum Prioris, idest per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos autem siue mulos, prout vestra

ostulauerit necessitas, vobis habere liceat, &
uod animalium, siue volatilium nutrimentum.
atorium, prout commodiùs fieri poterit, con-
uatur in medio Cellularum, vbi mane per sin-
los dies ad audenda missarum solemnia conue-
re debeatis, vbi hoc commodè fieri potest Do-
inicis quoque diebus, vel aliis, vbi opus fuerit,
custodia Ordinis, & animarum salute tractetis
bi etiam excessus, & culpæ fratrum, si quæ in
liquo deprehensæ fuerint, charitate media corri-
antur. Ieiunium singulis diebus exceptis Domi-
icis obseruetis à festo exaltationis sanctæ Crucis,
isque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi in-
firmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa
eiunium solui suadeat, quia necessitas non habet
legem. Ab esu Carnium abstineatis, nisi pro
infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et
quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes,
ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras
sumere poteritis pulmenta cocta cum Carnibus,
sed & carnibus supra mare vesci licebit. Quia
vero tentatio est vita hominis super terram, &
omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecu-
tionem patiuntur, Aduersarius quoque vester
Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens
quem deuoret, omni solicitudine studeatis, indui
armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias
inimici.

Accingendi sunt lumbi cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus Sanctis: Scriptū est enim: Cogitatio Sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ vt Dominum Deum vestrum ex toto corde & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem, Qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli Magisterium, pariter & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur: Qui positus est, & datus à Deo Prædicator, & Doctor gentiū in fide, & veritate; quē si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos die, ac nocte operantes, ne quem vestrū grauaremus. Nō quasi nos nō haberemus potestatem, sed vt nos metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos hæc denunciabamus vobis quoniam si quis non

t operari, non manducet. Audiuimus enim ër vos quosdam ambulantes inquietè nihil operantes. His autem qui eiusmodi sunt denunsiamus, obsecramus in Domino *Iesu Christo, vt cum ntio operantes suum panem manducent. Hac a sancta est & bona, ambulate in ea. Commendat tem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit erandum. Et quemadmodum Propheta testatur ltus iustitiæ silêntium est. Et rursum: In silento & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, t dicto completorio, silentium teneatis vsque ad rimam dictam sequentis diei. Alio verò tempore icet silentij, non habeatur obseruatio tanta diligenius tamen à multiloquio caueatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multi loquio peccatũ non deerit, & qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala, item qui multis verbis vtitur lædit animam suam, Et Dominus in Euangelio; De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua, & insanabilis sit casus eius ad mortem custodiens cum Propheta vias suas vt non delinquat in lingua sua. Et silentium in quo cultus iustitia est, diligenter & cautè studeat obseruare.*

Tu autem, Frater B. & quicunque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente,

& seruetis in opere, quod Dominus ait in Euangelio: Quicunque voluerit inter vos maior fieri erit Minister vester, & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Vos quoque cæteri fratres, Priorem vestrũ honorate humiliter; Christum potius cogitantes, quam ipsum qui posuit illum super capita vestra: Et Ecclesiarum præpositis ait; Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me spernit, vt non veniatis in iudiciũ de cõtẽptu, sed de obedientia mereamini æternæ vitæ mercedem. Hæc breuiter scripsimus vobis, conuersationis vestræ formulam statuentes, secundum quam viuere debeatis. Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cũ redierit reddet ei; vtatur tamẽ discretione, quæ virtutum est moderatrix. Actum Lugduni, Anno D. M. CCXLVII. Domini Papæ Innocentij IV. anno quinto, Kalen. Septembris. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Si quis &c. Datum Lugduni Kalen. Octobris Anno quinto.



BVLLA

VLLA EVGENII IV.

PROVT ADEST IN CODICE Vaticano 214. in qua moderantur Alberti Regulæ Capitula de abstinentia Carnium, de Ieiunio, & de mansione in Cellulis, atque cõceditur, fratribus dictam Regulam sic moderatam obseruantibus indulgentia plenaria in articulo mortis.

EVGENIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam Rei memoriam. ROMANI Pontificis prouidentia circũspecta nonnumquam ea quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in illis Diuinis obsequijs mancipatarum personarum prosperum statum conseruandum, ac animarum salutem earumdem salubriter instituta fuerant, si fructum non afferant exoptatum, reformat, & moderatur. Et vt Religiones ipsæ præsertim à sede Apostolica approbatæ in suo vigore perdurent, prout temporum qualitate pensatâ in Domino prospicit expedire, libenter impendit solicitudinis suæ partes. Sanè cum sicut Nobis pro parte dilectorum filiorum Joannis Faci Magistri Generalis, & Prouincialium ac Claustralium Priorum; & Vniuersorum Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli nuper

10 *Ieiunium singulis diebus, exceptis Dominicis obseruetis, à festo exaltationis sanctæ crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas seu debilitas corporis aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat: quia necessitas non habet legem.*

11 *Ab esu carnium semper abstineatis, nisi infirmitatis & nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ. Quia vero militia est vita hominis, & omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur: aduersarius quoque vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret; omni solicitudine studeatis indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim: Cogitatio sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ, vt Dominum Deum vestrum ex toto corde, & tota anima & ex tota virtute diligatis, & proximos vestros tanquam vos metipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim est impossibile placere Deo & hæc est victoria fides nostra. Galea quoque salutis imponenda est capiti, & de solo saluatore speretis salutem, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei abundanter habitet in ore & in cordibus vestris. Et quæcunque vobis agenda sunt in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid opes*

ris, vt ſemper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex otioſitate veſtra aliquem intraudi aditum ad animas veſtras valeat inuenire. Habetis ad hoc Beati Pauli Apoſtoli Magiſterium, pariter & exemplũ in cuius ore Chriſtus loquebatur, qui poſitus eſt & datus à Deo Prædicator & Doctor Gentium in fide & veritate: quem ſi ſecuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos, nocte ac die operantes ne quem veſtrum grauaremus: non quaſi nos non habeamus poteſtatem; ſed vt nos metipſos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum eſſemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam ſiquis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantès inquietè nihil operantes. His autem qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Hæc via ſancta & bona; ambulate in ea. Commendat autem Apoſtolus ſilentium, cùm in eo præcipit operandum: Et quemadmodum Propheta atteſtatur, Cultus Iuſtitiæ ſilentium eſt, & rurſus in ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Ideoque ſtatuimus, vt ab hora veſpertina vſque ad horam tertiam ſequentis diei ſilentium teneatis, niſi forte neceſſitas, vel cauſa rationabilis, aut licentia Prioris ſilentium interrumpant. Alio vero tempore licèt ſilentij non habeatur obſeruatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio cauea-

tur: quoniam ſicut ſcriptum eſt, & non minùs experientia docet, in multiloquio non deerit peccatum. & qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Item. qui multis verbis vtitur, lædit animam ſuam. Et Dominus in Euangelio: De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnuſquiſque ſtaterã verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo, ne fortè labatur. & cadat in lingua ſua, Et ſilentium, in quo eſt cultus iuſtitiæ, diligenter & cautè ſtudeat obſeruare. Tu autem Frater Brocarde, & quicumque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, & ſeruetis in opere. quod Dominus in Euangelio: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit veſter miniſter: Et quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Vos quoque cæteri Fratres Priorem veſtrum humiliter honorate, Chriſtum potius cogitantes, quam ipſum; qui poſuit illum ſuper capita veſtra. Et Eccleſiarum præpoſitis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: vt non veniatis in iudicium de contemptu, ſed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breuiter ſcripſimus vobis, conuerſationis veſtræ formulam ſtatuentes, ſecundum quam viuere debeatis. Si quis autem ſupererogauerit, ipſe Dominus cum redierit, reddet ei. Vtatur tamen diſcretione, quæ virtutum eſt moderatrix.

REGVLA ALBERTI

PROVT AB INNOCENTIO IIII. correcta, declarata, moderata, & confirmata; ex codicibus seu Registris vaticani de verbo ad verbum fideliter desumpta fol. 46. Bulla 239. Anno. 5. Pontificatus Innocentii 4. 1247. Calendis Octobris.

PRIORI ET FRAT. EREMITIS DE M. CARMELI.

QVÆ honorem conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui; sed illa præcipuè, & super quæ Apostolicæ sedis auctoritas salubris prouidentiæ studium noscitur habuisse. Cum itaque nos ad vestræ supplicationis instantiam, per dilectum filium nostrum Hugonem tituli S. Sabinæ Præsbyterum Cardinalem, & venerabilem Fratrem nostrum Guillelmum Anteradensem Episcopum, quædam regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac etiam quædam ipsius grauia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Nos vestris pijs desiderijs annuētes, declarationē & correctionē ac mitigationē huiusmodi, auctoritate Apostolica cōfirmamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus; Tenorē an-

tem litterarũ ipsarum, de verbo ad verbũ, fecimus præsentibus annotari qui talis est. Frater Hugo miseratione diuina tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis & frater Guillelmus eadem miseratione Anteradensis Episcopus, Charissimis in Christo filijs viris Religiosis Priori generali, & diffinitoribus Capituli G. Ordinis Fr. de Carmelo salutẽ in omni salutari. Accedentes ad Apostolicã sedem Fratres Clerici, Reynaldus, & Petrus Ordinis vestri ex parte vestra à Domino Papa humiliter postularunt, vt quædam, quæ in vestro priuilegio, & Regula olim vobis à felicis memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, cõtinentur, dubia declarare, corrigere, ac quædam grauia mitigare misericorditer dignaretur. Cum igitur Dominus Papa, eorum deuotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, vt declarationem, correctionem, & mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius, secundùm quod bono statui Ordinis & fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestræ qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam & mitigatam prout expedire vidimus, deuote recipientes, eam firmiter obseruetis. & ad instar eiusdem alias vestras regulas corrigatis quam vobis per eosdem Fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma. Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo filijs B.

& Cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, in Domino salutem; Et Sancti Spiritus benedictionem. Multifariè multisque modis Sancti Patres instituerunt qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcunque modum religiosæ vitæ elegerit in obsequio Iesu Christi viuere debeat, & eidem fideliter de corde puro & bona conscientia deseruire. Verum quia requiritis à nobis, vt iuxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis. Illud in primis statuimus, vt vnum ex vobis habeatis Priorem qui ex vnanimi omnium assensu vel maioris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate seruare, cum castitate & abdicatione proprietatis. Loca autem habere poteritis in Eremis, vel vbi vobis donata fuerint, ad vestræ Religionis obseruantiam apta, & commoda, secundam quod Priori, & Fratribus videbitur expedire. Præterea iuxta situm loci quem inhabitare proposueritis; singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ. Ita tamen vt in communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo, vbi commodè poterit obseruari, sumatis. Nec liceat

alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit iuxta introitum loci, vt venientibus ad eundem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius, postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in Cellulis suis, vel iuxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes nisi alijs iustis occasionibus occupentur. Hi, qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt eas dicant secundum Constitutionem Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non nouerunt viginti quinque vicibus, Pater noster, dicant in Nocturnis Vigilijs, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum Vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, vt dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in Laudibus Matutinis. In alijs quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio, præter Officia Vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis. Nullus fratrum aliquid esse sibi proprium dicat, sed sint vobis omnia communia: & distribuantur vnicuique per manum Prioris, idest per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. Asinos autem siue mulos, prout vestra

expostulauerit necessitas, vobis habere liceat, & aliquod animalium, siue volatilium nutrimentum. Oratorium, prout commodiùs fieri poterit, construatur in medio Cellularum, vbi mane per singulos dies ad audienda missarum solemnia conuenire debeatis, vbi hoc commodè fieri potest. Dominicis quoque diebus, vel aliis, vbi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis vbi etiam excessus, & culpæ fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate media corrigantur. Ieiunium singulis diebus exceptis Dominicis obseruetis à festo exaltationis sanctæ Crucis, vsque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solui suadeat, quia necessitas non habet legem. Ab esu Carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequenter mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum Carnibus, sed & carnibus supra mare vesci licebit. Quia vero tentatio est vita hominis super terram, & omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, Aduersarius quoque vester Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, omni solicitudine studeatis, indui armatura Dei, vt possitis stare aduersus insidias inimici.

Accingendi sunt lumbi cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus Sanctis: Scriptũ est enim: Cogitatio Sancta seruabit te. Induenda est lorica iustitiæ vt Dominum Deum vestrum ex toto corde & ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, vt de solo Saluatore speretis salutem, Qui saluum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. Faciendum est vobis aliquid operis, vt semper vos Diabolus inueniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat inuenire. Habetis in hoc Beati Pauli Apostoli Magisterium, pariter & exemplum, in cuius ore Christus loquebatur: Qui positus est, & datus à Deo Prædicator, & Doctor gentiũ in fide, & veritate; quẽ si secuti fueritis, non poteritis aberrare. In labore, inquit, & fatigatione fuimus inter vos die, ac nocte operantes, ne quem vestrũ grauaremus. Nõ quasi nos nõ haberemus potestatem, sed vt nos metipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos hæc denunciabamus vobis quoniam si quis non

vult operari, non manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè nihil operantes. His autem qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino *Iesu Christo, vt cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via sancta est & bona, ambulate in ea. Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur cultus iustitiæ silentium est. Et rursum: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, vt dicto completorio, silentium teneatis vsque ad primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore licet silentij, non habeatur obseruatio tanta diligentius tamen à multiloquio caueatur. Quoniam sicut scriptum est, & non minus experientia docet, in multiloquio peccatũ non deerit, & qui inconsideratus est ad loquendum sentiet mala, item qui multis verbis vtitur lædit animam suam, Et Dominus in Euangelio; De omni verbo otioso quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Faciat ergo vnusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos ori suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua, & insanabilis sit casus eius ad mortem custodiens cum Propheta vias suas vt non delinquat in lingua sua. Et silentium in quo cultus iustitiæ est, diligenter & cautè studeat obseruare.*

Tu autem, Frater B. & quicunque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente:

BVLLA EVGENII IV.

PROVT ADEST IN CODICE Vaticano 214. in qua moderantur Alberti Regulæ Capitula de abſtinentia Carnium, de Ieiunio, & de manſione in Cellulis, atque cõceditur, fratribus dictam Regulam ſic moderatam obſeruantibus indulgentia plenaria in articulo mortis.

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam Rei memoriam. ROMANI Pontificis prouidentia circũſpecta nonnumquam ea quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in illis Diuinis obſequijs mancipatarum perſonarum proſperum ſtatum conſeruandum, ac animarum ſalutem earumdem ſalubriter inſtituta fuerant, ſi fructum non afferant exoptatum, reformat, & moderatur. Et vt Religiones ipſæ præſertim à ſede Apoſtolica approbatæ in ſuo vigore perdurent, prout temporum qualitate penſatâ in Domino proſpicit expedire, libenter impendit ſolicitudinis ſuæ partes. Sanè cum ſicut Nobis pro parte dilectorum filiorum Ioannis Faci Magiſtri Generalis, & Prouincialium ac Clauſtralium Priorum; & Vniuerſorum Fratrum Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli nuper

fuit expositum quòd cum in certis Capitulis Regulæ, Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Hierosolymitanum traditæ: inter cætera caueatur expreßè, Quod Fratres prædicti Ordinis ab esu Carnium abstineant, nisi pro infirmitatis aut debilitatis remedio sumantur. Eisdem etiam quod singulis diebus (Dominicis dumtaxat exceptis) A festo exaltationis sanctæ Crucis, vsque ad festiuitatem Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi ieiunare teneantur, Quodque etiam singuli eorum manere debeant in cellulis suis, die ac nocte in lege Domini meditantes, ac in orationibus vigilantes, præcipitur, & propterea nonnulli ipsius Ordinis professores propter arctitudinem, & rigorositatem Regulæ huiusmodi, tam ex fragilitate humanâ, quàm ex debilitate corporeâ nequeuntes eandem regulam obseruare, dispendium suæ salutis incurrunt; quamplures etiam asperitatem huiusmodi pertimescentes, ab ingressu eiusdem Ordinis retrahuntur. Nos verò qui & plantare sacram Religionem: & plantatam modis omnibus fouere intensis desiderijs affectamus, super hoc quantum nobis est possibile prouidere salubriter cupientes, & rigorem huiusmodi quadam temperie mitigantes ac Regulam ipsam moderantes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, ordinamus ac concedimus, quod dicti Ordinis professores qui nunc sunt & qui pro tempore erunt,

tribus dumtaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus vt præfertur, ieiunare iuxta eandem Regulam sunt astricti, præterquam in Aduentu, & Quadragesima & alijs generaliter prohibitis diebus, carnibus vesci, ac horis congruis in eorum Ecclesiis; & illarum claustris ac per earum ambitus manere, & deambulare liberè & licitè valeant; Decernentes eos; & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, quàm supra exprimitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ & in posterum emittendæ, minimè teneri. Et nihilominus fratribus eisdem qui regulam ipsam, ita vt præmittitur, moderatam obseruauerint, quod eis in remissionem proficiat peccatorum. Et omnibus, & singulis priuilegiis, indulgentijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus protectionibus & prærogatiuis eidem Ordini à sede Apostolica per anteà cõcessis, vti & gaudere possint eâdem auctorit. cõcedim⁹ per præsẽtes: Cõstitutionib⁹ Apostolicis, ac statutis, cõsuetudinibus etiã prædictis ac alijs Ordinis ac Regulæ prædictorũ Capitulis iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel alia quauis firmitate vallatis, cæterisque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Et, vt Fratres ipsi in humilitatis & paupertatis Spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes ad huiusmodi mitigatam Regulam obseruandam feruentiùs animentur; omnibus & singulis Fratribus dicti Ordinis præsentibus & fu-

turis duntaxat, qui regulam ipsam, sicut præmittitur, moderatam deuotè obseruauerint, seu in obseruantia ipsius vixerint, vt superiores ipsorum dicti Ordinis professores vel alius quicunque idoneus eiusdem Ordinis Sacerdos omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo, plenam remissionem eis in sinceritate fidei, vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & deuotione nostra vel successorum nostrorum Romanorũ Pontificum canonicè intrantium, nec non obseruantia prædicta persistẽtibus, auctoritate Apostolicâ, concedere valeant deuotioni eorum, tenore, præsentiũ indulgemus. Sic tamẽ quod ijdem Superiores, de ijs de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eisdem fratribus, per ipsos si superuixerint, vel per alios si tunc fortè transierint, faciendam iniungant: quã ipsi fratres teneantur facere, vt præfertur; Et ne (quod absit) propter huiusmodi gratiam prædicti fratres reddantur procliuiores ad illicita in posterũ committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi prædicti Fratres aliqua fortè committerent quoad illa prædicta remissio eis nullatenus suffragetur. Et insuper, quod per vnum annum ex quo præsens nostra concessio ad eorumdem fratrum pro tempore existentiam notitiam peruenerit computandum, singulis sextis ferijs impedimento legitimo cessante ieiunent. Quod si prædictis

Ferijs ex præcepto Ecclesiæ, regulari obseruantiâ, iniunctâ pœnitentiâ, voto, vel aliàs ieiunare teneantur, vnâ aliâ die singularum septimanarum eiusdem anni, qua ad ieiunandum non sint astricti, ieiunent. Et si in dicto anno vel aliqua eius parte essent legitimè impediti, anno sequenti, vel aliâs quamprimùm poterunt modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Porro si forsan aliàs prælibatum ieiunium in toto, vel in parte quandocunque adimplere commodè non potuerint, eo casu superiores ipsorum, ieiunium ipsum in alia pietatis opera, prout animarum illorum saluti viderint expedire, commutare valeant: quæ ipsi parì modo debeant adimplere. Alioquin huiusmodi præsens nostra concessio, quoad non obseruantes dumtaxat, nullius sit roboris vel momenti. Nulli ergo &c. nostrorum statuti, ordinationis, constitutionis, concessionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M CCCC.XXXI. *quintodecimo Kalendas Martij, anno primo.*

BULLA PII II.

PRO DECLARANDO DVBIO Moderationis Regulæ ab Eugenio 4. editæ circa ieiunium, & Generali dispensandi facultas super his conceditur.

PIUS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilectis Filijs Priori Generali & Fratribus Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli salutem, & Apostolicam benedictionem Ad hæc diuina miseratio, in Apostolica sede plenitudinem potestatis constituit, vt Romanus Pontifex, qui claues à Beato Petro potestatis & discretionis accepit, erga singulos fideles, præsertim Altissimo sub regulari habitu, famulantes, Clementia vtatur, & gratia, ac in benigniorem inclinando sententiam rigori mansuetudinem anteponat. Cum itaque (sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat) fælicis record. Eugenius Papa IV. prædecessor noster, vobis & alijs eiusdem Ordinis Professoribus, qui pro tempore essent, quod tribus dumtaxat diebus singularum septimanarum siue hebdomadarum, etiam quibus ieiunare iuxta ipsius vestrì

Ordinis instituta regularia essetis astricti, præter- quam in aduentu Domini & quadragesima, ac aliis generalibus diebus, carnibus vesci liberè, & licitè possetis, gratiosè concesserat; & sicut eadem petitio subiungebat à nonnullis eiusdem Ordinis Professoribus reuocetur in dubium, an illis diebus quibus esus carnium vobis conceditur ieiunare teneamini, pro eo quod in concessione prædicta, non solùm mitigationem abstinentiæ, sed & relaxationem ieiunij petitam fuisse conspicitur. Quo fit vt duorum dierum in hebdomada quibus extra diem Dominicam vobis esus carnium indulgetur, huiusmodi ieiunium fuerit relaxatum. Nos volentes conscientiarum vestrarum quieti & tranquillitati consulere & ambiguitatis prædictæ scrupulum amputare: Quod tu dilecte fili Prior G. & qui pro tempore erunt, tui in dicto officio successores, personarum, locorum, & temporum qualitate attenta, cum fratribus dicti Ordinis, iuxta conscientiæ tuæ arbitrium, super præmissis dispensare valeas, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facultatem concedimus, ac etiam potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Mantuæ anno Incar-

nationis Dominica 1459. Nonis Decembris Pontificatus nostri anno secundo.

BVLLA XYSTI IV.


QVA MITIGATIO INNOCENTII IV. super regulam Alberti confirmatur. Confirmatio Alexandri 4. & Nicolai 4. roboratur; Sicut & moderatio Eugenii 4. & Pii 2. super eandem Regulam approbatur, confirmatur, & innouatur, eamque sic moderatam obseruantibus, plenaria Indulgentia semel in vita & in articulo mortis conceditur.

XYSTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI; AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

D*VM attenta meditatione &c. Et quia in Regula eorumdem Fratrum Carmelitarum, eis ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, & ab Innocentio 4. Alexandro etiam 4. & Nicolao similiter 4. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris approbata & confirmata: & quam per præsentes motu, & scientia similibus approbamus, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio, auctoritate Apostolica perpetuo communimus. Inter cætera cauetur expresse, Quod*

Fratres Ordinis prædicti ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitatis, aut debilitatis remedio sumantur. Et eisdem etiam præcipitur, quod singulis diebus, Dominicis dumtaxat exceptis, à festo exaltationis sanctæ Crucis, vsque ad festiuitatem Resurrectionis Dominicæ ieiunare teneantur: & ab Eugenio Papa 4. prædecessore præfato quadam temperie huiusmodi rigorem mitigante conceditur, statuitur, & ordinatur; quod dicti Ordinis professores, qui pro tempore forent, tribus diebus singularum septimanarum, etiam quibus vt præfertur, ieiunare, iuxta eandem regulam, erant astricti, carnibus vesci possent, præterquam in Aduentu, & Quadragesima, & alijs generaliter prohibitis diebus. Cum, vt etiam accepimus, ab aliquibus reuocetur in dubium, an illis diebus quibus eis vsus carnium conceditur, ieiunare teneantur: pro eo quod in concessione prædicta Eugenij non solum mitigationem abstinentiæ, sed relaxationem ieiunij ab eodem Eugenio prædecessore petitam fuisse conspicitur: Et propterea piæ memoriæ Pius Papa ij. prædecessor noster præfatus concessit, vt prior Generalis dicti Ordinis, qui pro tempore foret, super huiusmodi posset ieiunio dispensare. Nos etiam motu & scientia similibus, litteras prædictas Alberti Patriarchæ Jerosolymitani, & Innocentij 4. Alexandri 4 Nicolai 4. Eugenij, & Pij innouamus & confirmamus, & approbamus & perpetuæ firmitatis esse volu-

mus & mandamus concedentes. Quod tu dilecte fili Generalis, & qui pro tempore erunt tui in dicto Officio successores, personarum, locorum, & temporum qualitate pensata, cum vtriusque sexus dicti Ordinis professoribus, iuxta tuæ conscientiæ arbitrium super præmissis tam ieiunio quā carnium esu dispensare valeas, atque tres dies, plures, vel pauciores ad ieiunium faciendum nominare, & remittere, vt possis, libere indulgemus ac illis ex eis, qui iuxta huiusmodi regularia instituta dicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, & eiusdem Eugenij mitigationem antedictam nostramque declarationem huiusmodi, vt confessor idoneus, quem quilibet eorum vtriusque sexus, de suorum Superiorum consensu duxerit eligendum, eorum confessione diligenter audita semel in vita, & in mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, & indulgentiam impendere valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium gratiosè concedimus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum An. Incarnationis Dominicæ 1476. quarto Kalen. Decembris Pontificatus nostri anno sexto.




CONSTITVTIONES

FRATRVM BEATÆ DEI GENITRICIS
MARIÆ DE MONTE CARMELO
Antiquæ Obſeruantiæ.

A SANCTISSIMO D. DOMINO
Noſtro VRBANO PAPA VIII. *Confirmatæ*

VRBANVS PAPA VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



N ſupremo Apoſtolatus ſolio meritis licet imparibus immenſâ Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, inter cæteras Apoſtolicæ ſeruitutis curas illa nos iugiter ſollicitos habet, vt Religioſi viri præſertim ſub ſtrictioris obſeruantiæ Regulis altiſsimo famulantes, fœlicioribus in dies in vijs Domini proficiant incrementis. Quamobrem ſi quæ propterea facta fuiſſe comperimus, illa quo firmiùs ſubſiſtant, exactiuſque obſeruentur Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam fœlicemque religioſorum ſtatum & directionem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratius Ordinis Beatæ ſemperque Virginis Dei Genitri-

cis Mariæ de Monte Carmeli antiquæ obſeruantiæ Prior Generalis, quod non paucis abhinc annis multi fratres præfati Ordinis in quibuſdam Prouincijs ſuæ Religionis, vitam communem, ad Sacrorum Canonum præſcriptum, Sacri Concilij Tridentini & decretorum inde cõfectorum, exactè obſeruare niterentur iuxta eiuſdem Ordinis Regulam à Beato Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ante Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. illis traditam, correctam tamen & moderatam per Innocentium IV. Eugenium IV. Pium II. Et Sixtum IV. fælicis recordationis Rom. Pont. Prædeceſſores noſtros, additis etiam nonnullis, quæ ad maiorem vitæ perfectionem & exactiorem diſciplinæ Regularis obſeruantiam pertinere videbantur. Quia tamen communes Conſtitutiones ordinis, licet toti Religionis corpori, habitâ præſentis illius ſtatus ratione, ſint conſonæ, minus tamẽ conuenientes cenſentur ijs, qui arctiorem vitæ rationem profitentur: atque ideo ipſi perfectioribus medijs ad eam conſequendam indigent. Quare, vt eiuſdem Ordinis Profeſſoribus facilior in pijs eorum deſiderijs executioni demandandis via aperiatur; dictus Theodorus Conſtitutiones eiuſdem Ordinis in vnum volumen compilatas Apoſtolicæ confirmationis robore communiri plurimum deſiderat, tenoris ſequentis, videlicet.



CONSTITVTIONES CARMELITARVM ANTIQVÆ OBSERVANTIÆ

PARS PRIMA CONSTITVTIOnum. De Monastico Regimine.

CAPVT PRIMVM.

DE RECEPTIONE LOCORVM, ET FORMA ædificandorum Conuentuum.

1. 

VM Apostoli præcepto iubeamur vno ore, vnoque spiritu honorificare Deum, habentes ad inuicem cor vnum & animam vnam; æquum sanè est, vt qui sub vna regula, sub vno capite, & vnius professionis voto viuimus, in praxi & disciplinæ regularis obseruantia inueniamur vniformes; quatenus vnitatem, quæ interiùs habenda est in cordibus, repræsentet vniformitas exteriùs seruata in moribus. quod perfectè obseruabitur, si quæ facienda sunt bona, vel quæ declinanda mala, clarè proponantur, & omnibus, qualiter sit viuendum, præscriptis legibus innotescat. Quæ, quià regula nostra breuiùs perstringit, has in-

frà constitutiones, varijs dudùm experimentis probatas; ipsique adeò Regulæ conformes, ad Omnipotentis Dei gloriam, necnon sacri Ordinis spiritalē profectum sancire, operæ pretium duximus.

2. Illud in primis statuimus nullum locum de nouo à quocunque Fratre recipi posse, nisi suffragante Reuerendissimi P. Prioris generalis vel Capituli Prouincialis consensu, & seruatis seruandis, iuxtà Concilium Tridentinum, & decreta summorum Pontificum: quòd si mora traheret periculum in acceptione Conuentus, Prouincialis monebitur, qui adiuncto consilio trium aut quatuor Priorum de confinio, poterit acceptare.

3. Caueant Priores Prouinciales ne Conuentus aliqui cùm incongruis conditionibus & grauibus oneribus recipiantur, in quibus nouæ ceremoniæ, leges, ordinationes, viuendi modus, vel alia quæcumque obseruanda sint, Ordini & constitutionibus nostris contraria. quòd si secùs recipiantur, ipso facto receptio nulla sit.

4. Ad noua loca mittantur Fratres exemplares, graues, maturi; & frater ille, qui fratribus ibì commorantibus præfuerit, non Prioris, sed Vicarij nomine censeatur, vsque ad proximum Capitulum Prouinciale, à quo nouus locus poterit erigi in Prioratum; sed nec ratione officij huiusmodi, siuè Vicariatus, siuè Prioratus sit de gremio Capituli Prouincialis, nisi sint ibi fratres vocem & locum meritò habentes quaternarium numerum, eo comprehenso, excedentes. & idem volumus de antiquis Conuentibus, à numero quaternario deficientibus, nisi hoc contigisset nouiter per pestem, vel subitam & extraordinariam fratrum substractionem; neque Prouinciales, sub pœna depositionis, permittant eiusmodi Priores sine sub-

iectorum prædicto numero manentes, in suis Capitulis Prouincialibus vocem habere.

5. Antequàm opus notabile inchoëtur, loca omnia clausurâ honestâ muniãtur,& vbi sufficiẽter clausa fuerint, fratresque ibi permanserint, nullus frater siuè Prælatus, siue subditus, præsumat mulieres cuiuscumque status, ordinis, & conditionis, quacumque dignitate & præeminentia præditas, etiam Comitissas, Marchionissas, & Ducissas in ea introducere vel admittere, sub pœnis contentis in Constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. præterquam in Claustra ipsorũ Monasteriorum casibus sequentibus. Videlicèt quandò in eis Missæ & alia diuina officia celebrantur, vel processiones fiunt, vèl cadauera fidelium sepeliuntur, ac etiam pro illis suffragia offeruntur, & similiter quandò Diuinum Verbum in Claustris nostris proponitur, vel propter aliam quamcumque causam tantus est populi concursus, vt commodè ingredi & egredi per portam Ecclesiæ principalem non valeant omnes; tunc enim possunt mulieres vnà cùm alijs sæcularibus ingredi & egredi per portam Claustri Monasteriorum, dummodò recto tramite ad portam qua exitur à Monasterio, accedant.

6. Nullo modo liceat fratribus vnius Conuentus terminos alterius absque superioris vtriusque Conuentus assensu scienter excurrere ad procurandum vel quæstuandum, sub pœna priuationis vocis & loci ipso facto subeunda; & vbi contrarium acciderit, restituatur ablatum, volentes quòd Priores Prouinciales Cõuentuum terminos studeant, æquitate seruata, limitare, sicut in Domino ad pacem & fratrum concordiam iudicauerint expedire.

7. Quod verò attinet ad constructionem nouorum locorum, maximè curandum est, vt quæ deinceps reci-

pientur loca, cœli, ſolique temperie gaudeant; nec alicubi Monaſteria aliqua conſtruantur, quæ vel ex certis reditibus, vel eleemoſinis ordinarijs, quæſtuque quotidiano, non valeant duodecim communiter ſuſtentandis fratribus ſufficere: & admiſſa Monaſteria, ſi ſufficientem in breui numerum fratrum ad perfectam vitæ regularis obſeruantiam admittendi ſpes aut ratio non ſuppetit, per diſpoſitionem Reuerendiſſimi P. Generalis, aut Capituli Prouincialis, relinquantur; niſi aliundè ab antiquitate venerationem, commendationemque præferrent.

8. Et quia frequenter, ſeu veterum reparandorum neceſſitas, ſeu nouorũ Conuentuum erigendorum occurrit occaſio, vt in re tanti momenti, quâ poſſumus prudentiâ prouideatur, prohibemus, ne ædificium aliquod notabile diuturnumque inchoetur, 1. abſque conſenſu vocalium cuiuſcumque Conuentus. 2. habitâ in ſcriptis à R. P. Prouinciali licentiâ. 3. abſque præfectis ædificiorum, qui ex noſtris vnus vel duo, ijs artibus, quæ Architectonicam ſpectant, ſufficienter inſtructi, à Capitulo Prouinciali vel definitorio deputabuntur, qui, antequàm operis aliquid aggredi liceat, idealem figuram, ſeu planum in charta exarabunt, vel etiam ſimulachrum ſiue formulam in ligno, vel in alia materia efformabunt, non tantùm partis de nouo conſtruendæ, ſed habita etiam ratione totius fabricæ, licet longè poſt, tamen aliquandò ædificandæ, vt in toto maturè conſiderata conſtructione ſingularum partium ſtruendarum ſolidius iudicium exiſtat, quod accedente vt diximus conſenſu, exactiſſimè obſeruetur, ſub pæna depoſitionis ab officio.

9. Prædictis fratribus noſtris ædificiorum præfectis neceſſaria omnia, tàm ſui itineris in acceſſu aut reditu, quàm ſuæ commorationis in victu & veſtitu ab eo con-

uentu

uentu suppeditabuntur, qui eorum operâ indigebit, vocem & locum interim suæ professionis habituris.

10 Nulla eis committetur exponenda pecuniæ summa, nisi de consensu Communitatis, nec poterunt, nisi rogati conuentiones cum operariis facere, sed tantùm curam habere ædificij; & vbi aliò vocarentur, Priorem & alios de omnibus rebus ante suum exitum diligentissimè informare tenebuntur.

11 Sciant autem Priores, & ij omnes, quorum intererit, nostros Conuentus sic regularitèr instruendos. 1. vt Ecclesia ad captum cœtumque populi non plus æquo ampla sit, in qua ad Altaris maioris latus dextrum, seu cornu Euangelij, si fieri potest, Capella gloriosæ Virginis cæteris ornatior digniorque habeatur; ita deindè elaboratis distinguantur altaria cancellis, vt nec seculares Sacerdotem contingere, nec Canes illùc accedere valeant; Infra altare maius, Chorus secularis hinc indè dispositis sedibus coaptetur. Chorus autem fratrum sit contiguus quantùm fieri poterit Dormitorijs, vt illum ingredi, ab eoque sine transitu per Ecclesiam fratres egredi possint, sicùt per interiores partes domus aditus etiam pateat ad Sacristiam.

12 Ad inferiorem Ecclesiæ partem adsit ianua faciendis processionibus per Claustra conueniens, super quibus Dormitoria distinctis fratrum cellis existant perpetuo silentio deuouendis. In ea Conuentus parte communes latrinæ ita disponantur, vt fœtor dormitoria non lædat. Culina, Lignile, Cella vinaria, & super eam expenditorium, horreum, schola; oratorium insuper, Capitulum, refectorium, bibliotheca, aula communis siue Calefactorium, & tonstrina in oportuniori parte domus habeantur; infirmitorium, & hospitium tantisper à prædictis officinis separentur, vt alterutris incommodis & tumultibus singuli quique vaccent. Iuxta portam Monasterij adsit, rato

rium Ianitoris. Locus tutus item cum arcâ seu armarijs habeatur, in quibus scripturæ, priuilegia, contractus, instrumenta, libri professionum, & omnia iura ad Conuentum pertinentia, cum suo inuentario asseruentur. His accedet in secretioribus angulis aut recessibus Carcer, quem mandamus quamprimùm in omnibus Conuentibus ædificari.

13 In quocumque ædificio, incumbant semper & magis intēdant diuturnitati operis & delectui tam artificum quàm materiarum, nè dum putant sumptibus parcere, operam ludant: caueant etiam, nè structuræ, Religiosæ professionis modum excedant; neque fiant aut fieri permittantur in Conuentibus nostris, Exceptis Ecclesijs, sumptus notabiles, in sculpturis, picturis, tecti culminibus plūbeis, pauimentis; & alijs similibus, quæ votum paupertatis deformant. Magnitudo & eleuatio Cellularum sit fermè decem pedum in quadro, quarum fenestellæ duos pedes ad minus cum dimidio in latitudine habeant; quinque verò in altitudine non excedant, exceptis cellis Prioris & Procuratoris, quæ fient capaciores, & solæ clauibus non communibus obserabuntur. Vt quæ ad officium Illorum spectant, tutò seruentur.

CAPVT SECVNDVM.

De loco solitudinis, de Anachoretis, & Heremitis.

1 VT primæuum Institutum nostrum, cuius pars præcipua est diuinæ contemplationis studium, & sanctæ solitudinis amor, semper inter nos vigeat, ordinamus quòd in qualibet Prouinciâ vnus saltem habeatur Conuentus ab vrbibus & Secularium stre-

pitu Semotus, vbi Religiofi fub fecretiori claufura viuant in folitudine, fine vlla occupatione aut cõuerfatione cum fecularibus.

2 Locus Heremi ita opportunè fitus fit, vt non longè ab eo in aliquo Oppido adfit aliquod aliud Cœnobium fratrum noftrorum, quatenùs propinquitate, cum opus charitatis poftulauerit, Heremitis adeffe poffint, faciliùfque infirmi (magno ftudio curandi) ad illud mittantur.

3 Eiufmodi loca folitaria ædificentur, & accommodentur, quãtum fieri poterit ad vfum & exercitium vitæ Heremiticæ, ita vt Oratorium fit in medio Cellularum Heremitarum, per ambitum claufuræ hinc indè ædificandarum, centum paffibus aut circiter à dicto Oratorio, & à fe inuicem diftantium: vt iuxta regulã, ad audienda Miffarum folemnia, & alia officia perfoluenda, fingulis horis diurnis conuenire valeant.

4 Cellulæ Heremitarum duodecim ad plus erunt in numero, vltra Cellulas Prioris, Subprioris, cæterorumque fratrum ad negotia Heremi & officia etiam nocturna deputatorum, recitanda; quæ cellulæ in dormitorijs prope Oratorium feu ecclefiam fuper Clauftri & Conuentus officinis, vt in alijs Conuentibus, conftructæ erunt: in introitu verò claufuræ adfint etiam aliquæ cameræ pro Ianitore eiufdem claufuræ, & hofpitibus, raro tamen hofpitandis.

5 Vtque nofter Ordo Sponfo Domino fimul poma noua & vetera, ad vltima vfque fæcula feruare valeat, vna aut altera vltra dictas cellulas heremiticas in fecretiorib⁹ & remotioribus Heremi claufuræ partibus ædificari poterunt ad vitam Anachoreticam ad tempus, iuxta difcretionem Superiorum, ducendam. In eifdem aderit Oratoriolum, vt Anachoretæ quotidiè fub filentio perpetuo, fibi mutuò ad facrum faciendum inferuiant, nec cum alijs ad audiẽda Miffarum folemnia, aliaque diuina officia per-

ſoluenda, ad oratorium commune, niſi ad Capitulum ſingulis Dominicis conuenire teneantur; ſed cùm ad cæteros conuocandos dabitur ſignum, in omnibus Heremitorijs, tam pro nocturnis quàm diurnis exercitijs ſingulatim ſuo ordine, etiam cum ſuis campanellis ſignum dabunt; & ſoli Anachoretæ, ea quiſque priuatim in ſuis oratoriolis deuotè recitabunt, ſuiſque pariter temporibus, orationi mentali vacabunt.

6 Qui in dictis cellulis Anachoreticis ad tempus morabuntur, parciori victu quàm in Cõuentu vtantur, & oleribus crudis aut coctis, faciliter tamen paratis, fructibus, pane, & vino ſuſtententur, niſi ob debilitatem vèl aliam iuſtam cauſam, cuiquam prælatus, aliquid aliud ſubminiſtrandum iudicet.

7 Victus aliorum fratrum cum alijs Conuentibus erit illis communis; in Heremitorijs tamen degentes, ab Exaltatione ſanctæ Crucis, vſque ad Paſcha Reſurrectionis ſerotino tempore non accedant ad menſam communem, nec ideò præſumant aliquid in Cellulis ſuis coquinari, ſed oleribus, fructibus, pane & vino, aut alijs ſibi iudicio Superioris diſtributis, in Cellulis ſuis dato ſigno, horâ aſſuetâ deuotè ſingulariter ſumãt; alijs verò temporibus, manè & ſerò communem menſam & recreationem frequentabunt, & nemo ad Cellulas ſeparatas mittatur, niſi ad minus duobus menſibus communibus actibus in Conuentu Heremi interfuerit.

8 Curent inſimùl omnes Fratres Heremi arctiſſimam paupertatem tàm communiter,quàm particulariter ſeruare,omniaque eorum vtenſilia, ſimplicitatem maximè præferant, rebuſque vilioribus, aſperioribus, & parcioribus, quoad fieri poterit, vtantur; quod ſi quidpiam in Heremis Viſitator ſuperflui reperiat, quæcumque non neceſſaria inuenta fuerint,de conſilio diffinitorum ea diſtribuat,& ad Cõuentus pauperiores Prouinciæ applicet.

9 Finis igitur Heremiticæ Institutionis nostræ cùm sit, status omnes, per quos Sacer Ordo Carmeliticus ad vsque nos peruenit, antiquo suo trunco semper insertos conseruando, iuxta eos sponsæ Saluatoris fructus vberiores perenni puritate reddere, ideò vt fratres in Heremis commorantes iugi orationis, precum, ac vigiliarum studio, assiduâ Corporis mortificatione, alijsque pijs operibus, omnibus fidelibus, totique Ecclesiæ maximè prosint; Præcipimus, vt in Conuentibus Heremi, omnia Sacrosanctæ Missæ sacrificia Deo, pro spirituali Ecclesiæ ac Religionis augmento, proprijsque Heremi obligationibus & necessitatibus, totius nostri ordinis benefactoribus persoluantur, nec ratione aliqua pro celebrandis Missis aliquid recipi possit.

10 Habeat itaque heremiticus Cōuentus, possessiones, reditus, prouentus, vel alia bona mobilia, vel immobilia ex fundationibus, beneficijs, aut aliorum Conuentuum contributione, ad impensas pro victu & vestitu fratrum sufficientia, nec in eo maior assignetur numerus, quàm qui reditibus & obuentionibus sufficienter ali possit, & nunquàm excedat numerum triginta fratrum, scilicet viginti quatuor Sacerdotum, & reliquum Laïcorum, vel donatorum.

11 Ad Capitulum Prouinciale, seu ad Prouinciale Definitorium pertinebit, in Heremis Priorem, Subpriorem, Sacristam, Procuratorem, aliosque idoneos ministros instituere, ac præficere, qui sic instituti ac præfecti, suis officijs integro triennio perfungentur, & licèt sub arctiori clausura in solitudine viuere teneantur, tamen pro bono Monasterij heremitici, cum secularibus & alijs exteriùs id exigente necessitate, solus Procurator & Prouisor agere & negotia tractare, sicut & in rebus arduis Prior, breuiter in hospitio poterunt, qui nunquam ex heremo prodeat, nisi pro vrgentissima necessitate, hocque de li-

centiâ Prouincialis, neque aliquem fratrem de nocte clausuram egredi permittat.

12 In Heremi Monasterio nullæ fiant discretorum seu Clauariorum electiones, nec solita in alijs Conuentibus fiat expensarum computatio, nisi inter Priorem, Subpriorem, & Sacristam, coram quibus Procurator & Prouisor vnoquoque mense de acceptis & expensis reddent rationem, & semel in anno coràm Prouinciali, aut alio Visitatore, sitque communis arca, in qua libri de rebus & sumptibus Heremi, vt in Constitutionibus istis decernitur, & etiam Eleemosinę reponantur, cuius vnam Clauem habebit Prior, alteram Subprior, & tertiam Sacrista.

13 Quia verò Religiosi tepidi, longo virtutum exercitio non probati, difficilè ad silentij & solitudinis continuæ studium animum possunt applicare, præcipipimus vt in heremis habitandi facultas Nouitijs, iunioribus professis, infirmis, debilibus, nimium melancholiâ affectis, ad vitæ interioris perfectionem non propensis, aut alijs quibuscumque iudicio Prouincialis ac Prioris Eremi minùs ad solitarium institutum idoneis non concedatur.

14 Et si quis in Heremo degens, ita remissè in assumpto propósito se gesserit, quòd probabilis spes de eius spirituali profectu non præsumatur, moneatur à Priore Heremi R. P. Prouincialis, vt ipse maturè cognitâ causâ, eum ad alium conuentum Prouinciæ statim transferat, idemque faciat cum ijs qui habituali ægritudine ita afficiuntur, vt vitam communem in choro, refectorio, & alijs communiter seruarę non possint.

15 Qui ad hunc solitarij secessus locum mittitur, saltem per annum integrum in eo commoretur, nisi iustâ de causâ à Priore Prouinciali reuocetur.

Nullus per aliquot menses permansurus ad conciones

conficiendas, libros componendos, aut aliud studium faciendum illuc mittatur; studia item scholastica, & quæuis alia spiritum deuotionis extinguentia, vndè animus in oratione, ariditates pati solet, deuitentur; solius sacræ scripturæ, & piorum sanctorum Patrum opusculorum studijs incumbere possunt. ideò non adsint in Bibliotheca Heremi, libri scholastici, cócionatores, alijque cuiuscumque studij classici, sed tantùm sacræ scripturæ, piorum, & Sanctorum Patrum opuscula, aliaque opera spiritum deuotionis & contemplationis excitantia.

17 Singulis diebus Dominicis signo dato, fratres Heremitæ & Anachoretæ, ad Capitulum cum alijs in Conuentum accedent, & quintis Ferijs pariter ad collationes seu spirituales conferentias faciendum conuenient heremitæ, ac per horam de re, quæ præcedenti collatione fuerat proposita, mutuò conferant & colloquantur.

18 Vt cogitationibus sanctis, intentione & oratione ac cæteris armis iustitiæ, toto conatu feruentiùs mentes suas in Dei contemplationem eleuent, ad exemplum Patris nostri Heremitarum principis Eliæ, continuum obseruabunt silentium, nisi cùm Priorem alloquentur, & nisi designatis conferentiæ seu collationi horis, extra quas interroganti, ità est, &, non est, respondebunt.

Præter tempus ad orationem mentalem alijs Con-
19 ventibus præscriptum, huic angelico officio horam integram singulis diebus impendent, vnam mediam scilicet post horas matutinas, & aliam mediam ante, vel post celebrationem vel auditionem Missæ.

Ad officia diurna, vt præmissum est, fratres Heremitæ
20 conuenire debent, & in heremis non cantetur cum notâ, exceptis diebus Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, solemnis commemorationis Virginis, sancti Prophetæ Eliæ Patris nostri, Assump-

tionis eiusdem Virginis, omnium Sanctorum, Commemorationis solemnis defunctorum, Natiuitatis Christi, & Epiphaniæ, in Missa & vtrisque vesperis tantùm sicut in Missa de Spiritu sancto, in visitationibus Prælatorum, & in missis pro obitu summi Pontificis, Cardinalis Protectoris, supremi nationis Principis, Prioris Generalis, Prouincialis, & fratrum Prouinciæ. Cæterùm voce vnisona & cum grauitate, magnâ pausâ, diuinum officium celebretur.

21 Nulla ornamenta, seu paramenta Ecclesiastica in heremis sint omninò serica, sed lanea tantùm, simplicia, & munda, coloribus distincta secundum vsum Ecclesiæ.

22 Vt strictiùs Regulæ nostræ, otium fugiendum grauiter monentis, sensum obseruent fratres, laborēt omnes manibus, singulis diebus saltem per horam, hortos suorum heremitoriorum, vel communem excolendo, fructus colligendo, non tàm propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem.

23 Vt horti, aliaque Heremi loca, clausura, murisque cincta, non solùm amœnitate iucunda, sed etiam orationi & contemplationi sint aptiora; Prior quisque singulis annis, arbores fructiferas & syluestres plantari faciat, ita tamen vt agri non sint intra Clausuram, neque tot arbores, quibus excolendis duorum donatorum labor non sufficiat.

24 Quarè hortis excolendis, serendis, plantandis arboribus & cæteris Heremi officijs faciendis, vltra communem laborem omnium fratrum, sufficiens assignetur fratrum laïcorum aut donatorum numerus, vt intra dictam clausuram Monasterij Heremitici, operarij seculares (nisi necessitate cogēte, vnus aut alter famulus) nō ingrediantur, quos nemo fratrum dùm operantur, alloquatur, nec illis se coniungere præsumat.

25 Vt Fratres Heremitæ qui in iugi silentio & solitudine

ab omni ſtrepitu ſemoti, perpetua quiete gaudentes, cæleſtia feruenti animo meditari tenentur, non deturbentur; nemini fratrum noſtrorum liceat locum Heremi adire, non modò permanendi, ſed nec viſitandi cauſa, abſque venia, à Priore Prouinciali petita, & in ſcriptis obtenta; qui ſecus ire præſumpſerit, à Priore Heremi minimè recipiatur.

26 Soli Priori Heremi licitum ſit litteras ſcribere, eaſque recipere, aut de eius mandato, Procuratori, pro officij ſui negotijs; fratres tamen cæteri ad Reuerendiſſimum P. Generalem, & Reuerendum Prouincialem tantummodò ſcribere poſſunt, & pro re graui alijs etiam de ſuperioris licentiâ, rarò tamen concedendâ.

27 Sæculares ibi nullo modo pernoctent, niſi maximâ cogente neceſſitate, hocque in hoſpitio, nulloque modo intra clauſuram Conuentus Heremitarum & Anachoretarum introducantur, aut eis aliquid videre permittatur præter oratorium, ſeu Eccleſiam, & Sacriſtiam: hocque rarò, niſi inſignioris notæ hoc vir aliquis exoptaret, quique ex ingreſſus & viſitationis denegatione offenderetur, quibus aduenientibus caſibus, Prior, quid agendum ſit, de trium ſeniorum conſilio, decernat. & tunc ſi interiora Heremi luſtraturus intrare debeat, nolâ priùs duabus diſtinctis vicibus pulſatâ, cum ſilentio, aſſiſtente & ducente Priore ingrediatur, mulieres nunquam intra clauſuram, nec prætextu orationis, in ipſum oratorium ſiue Eccleſiam introducantur.

28 In Heremo Confeſſionibus ſecularium audiendis præterquàm famulorum domus, & aliquorum Sacerdotum, in oratorium, ſeu Eccleſiam accedentium, & miſſas celebrare volentium, nullus ſe occupabit, ſicut nec in cõcionibus ad populum habẽdis, ſub pœna depoſitionis ab officio Priori, alijs verò, priuationis vocis & loci, ad annũ.

29 Prior bis ad minus per ſingulas hebdomadas, cellu-

las Heremitarum & Anachoretarum visitet, nemoque alterius cellam ingrediatur sine licentiâ superioris; qui verò nocte fuerit ingressus alicuius fratris cellam, pœna graui puniatur: si autem, qui in exterioribus & separatis cellulis viuunt, hunc errorem perpetrauerint; pro primâ vice etiam pœnâ graui puniantur, & pro secundâ ab Heremo eijciantur.

30 In reliquis eædem quæ pro alijs Conuentibus leges statutæ sunt, iuxta directorium spirituale de forma viuédi in Heremis, seruentur: & caput istud vnà cum directorio, primâ dominicâ cuiusque mensis in communi mensâ legantur.

CAPVT TERTIVM.

de paupertate.

1 CVM Religiosæ professionis fundamentum sit paupertas, quæ ex Regulæ nostræ præcepto omni interdictâ proprietate fratribus nostris omnia iubet esse communia, & vnicuique distribui prout opus fuerit, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum, illam omnes diligant, in suâ puritate conseruent, & iuxta virtutum omnium moderatricem discretionem sæpe eius effectus experiantur, Redemptoris nostri exemplo, qui cum esset diues, propter nos factus est egenus.

2 Statuimus vt in nostris Conuentibus communes habeantur officinæ, vnde cuilibet fratrum iuxta Superioris ordinationem, per manum Præfecti officinarum, quæcumque fuerint necessaria. magnâ Charitate & diligentiâ ministrentur, ita tamen vt in easdem officinas, ea quibus actualiter non indiguerint, quamprimùm re-

ferre teneantur, sub pœnâ mediâ negligenti infligendâ.

3 Nullus fratrum quidpiam eorum quæ sibi ad vsum concessa fuerint, audeat possidere vt proprium; nec quidpiam etiam vel minimum, putà Rosarium, Imaginem vel aliquid simile datum accipere, retinere, dare, vel cum alio fratre permutare absque scitu & licentiâ Superioris sub pœnâ mediâ pro primâ vice infligendâ.

4 Nihil etiam vel minimum liceat regularibus nostris, secularibus dare vel ab eis accipere absque licentiâ Superioris, & in hoc exactissimè obseruetur Bulla fœlicis memorię Clementis VIII. de largitione munerum; si quæ autem de licentiâ Superiorum dabuntur, exquisita non sint, sed simplicia & moderatissimi pretij, hocque communi tantùm, nunquam verò particulari nomine, vt in dicta Bulla decernitur.

5 Nemini permittatur vsus rei aureæ, argenteæ, aut alterius materiæ pretiosæ, putà rosarij, reliquiarij, aut Crucis nimio artificio elaboratæ, horologij rotati, circuli opere phrigio intexti in breuiarijs, alijsque libris & similium: neque item nomen suum, aut notam aliam permanentem in Breuiario, missali, alióue libro scribere, vel depingere audeat, sub pœnâ mediâ tàm facienti quàm permittenti pro primâ vice.

6 Vt paupertati, quæ Christi virtus est, vel ipsis verbis honos habeatur, vitentur sæculares appellationes, meũ ac tuum, & vsurpentur istæ, nostrum, vestrum, in ijs dũtaxat quæ communem vsum spectant, vt cella nostra, breviarium nostrum.

7 Cellulæ nostræ adinstar Patris nostri Elisei pro totâ supellectili, lectulo dumtaxat, duorum pedum cum dimidio in latitudinem, & sex aut circiter in longitudinem instruatur: sacco item paleaceo, puluinari plumeo vel laneo, duobus linteolis laneis seu langetis, stragulis seu

coopertorijs etiam laneis albi coloris, vnâ aut alterâ, pro cuiusli bet necessitate, mensâ exiguâ, scabello, vel alio sedili, vno vel duobus asseribus ad gestandos libros cōmodis, theca calamaria, candelabro, genuflexorio, vnâ aut alterâ imagine, maximè verò Crucifixi,& B. V. Mariæ, & vasculo aquam benedictam continente, nec quicquam aliud in eis Superior permittat sub pœna graui.

8 Curabit Superior vt à fratribus nostris cellæ, libri, vestes, consideratâ tamen cuiusque staturâ commutentur, quoties expedire iudicauerit, dando & auferendo à quolibet quod voluerit & quando voluerit.

9 Prioris, & Procuratoris Cellulæ, vnà cum officinis communibus, sint clauibus specialibus obseratæ, in quibus scripta,& alia quæ ad officiū illorum spectāt, tutò seruentur. Cæterùm iuxta decreta Pontificia, habeat Superior clauem ità fabrefactam, vt cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, & proptereà nullus cellam etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

10 Nec liceat arculas, capsas, armariola, saccos seu peras, seu quælibet alia repositoria clausa seu obserata apud se in cellis retinere, & siqui deprehendantur clandestinas seras, seu clausuras habere, eidem grauiori pænæ subiaceant.

11 Nulli præterquàm Emptori liceat quicquam emere aut vendere iuxta decretum Pontificium Clem. VIII. & Vrbani VIII. alijs verò fratribus pecuniæ vsum seu distributionem omninò interdicimus, nisi pro re speciali, Superioris commissio intercedat, qui contrà fecerit, pæna graui puniatur.

12 Nulli siuè Superiores sint, siuè Confessarij, aut Concionatores,deposita apud se, nec apud alios seruanda recipiant, sub quocunque prætextu, etiam à pœniten-

tibus consignata, exoluendæ satisfactionis, aut eleemosinæ erogandæ, aut alterius cuiuslibet rei causa: sed huiusmodi in arca trium clauiũ per Priores & Clauarios reponantur & asseruentur, suo tempore deponenda, sub pœnâ proprietariorum ea retinentibus infligendâ.

13 Ordinamus etiam vt omnes Eleemosinæ quomodocunque nobis erogatæ, statim ac sine mora omnes in integro Priori, aut Procuratori tradantur sub pœnâ proprietariorum.

14 Et vt omnis, vel occasio, vel proprietatis palliatio ab Ordine nostro penitus rescindatur, districtè prohibemus ne vllus in Conuentibus nostris instituatur communis locus, quem vocant depositum, in quo pecuniæ asseruentur, vel etiam quidpiam aliud, cum notâ vel nomine alicuius Religiosi, & pro ipsius vsu: hic enim vsus, licè tiure communi licitus esse possit, in re tamen & praxi est periculosus, vtpote Sacri Concilij Tridentini, & summorum Pontificium Clementis VIII. & Vrbani VIII. decretis contrarius: & siquis hanc consuetudinem vel introduxerit, vel tolerauerit, statim ab officio deponatur, ad illud inhabilis imposterum censeatur, insuperque pœnâ grauissimâ puniatur.

15 Nullus fratrum migrans de conuentu in conuentum, secum quid asportet præter breuiarium, diurnale, scapulare nocturnum, cappam albam cum caputio, pileum, scripta aliqua proprio labore composita vel collecta; fratribus tamen clericis poterit aliquando concedi, vt secum sacra biblia deferant.

16 Nulli è nostris liceat quâcunque qualitate aut conditione pollenti, libros vllos vt proprios sibi asserere aut vendicare; multò minùs è confractis voluminibus quaterniones subtrahere, & è conuentu in conuentum inter scripta asportare sub pœna grauiori, quod malum vt auertamus, antequam Religiosi discedant è conuentu

ſuas ſarcinulas & ſcripta aperire & oſtendere Superiori teneantur, ſub pœnâ graui infligendâ.

17 Quamuis Superiores pro paternâ Charitate diſcedentium neceſſitates præuenire debeant, & neceſſaria ad iter agendum, miniſtrare, caueant tamen diligenter inferiores ſibi à Superioribus conceſſa, vel ſi quæ à perſonis vel parentibus erogata fuerint, in vſus aut emptiones rerum ſuperfluarum aut curioſarum itinerantes impendere, & ſiquid ſuperſit, ſtatim, cum ad conuentum peruenerint, tradant in manus Superioris, nec ampliùs quidpiam ad ſuos vſus de tali pecuniâ prætendant impendendum ſub pœnâ proprietariorum.

18 Omnia inter religioſos noſtros volumus ita eſſe communia, vt non tantùm cuilibet neceſſaria à conuentu ſuppeditentur, verùm etiam inter conuentus eiuſdem prouinciæ & reformationis tanta intercedat charitas, & bonorum communitas, vt pauper conuentus à ditiore iuuetur, iuxtà Superiorum ordinationem & conuentuũ facultatem; ita vt qui libris, ornamentis Eccleſiæ, & alijs abundauerit, nouis hoſpitijs & pauperioribus conventibus ea impertiantur, nullam allegantes conſtitutionem aut conſuetudinem in contrarium.

19 Item cùm experientiâ compertum ſit, religioſam obſeruantiam non poſſe propagari, ſiuè per nouorum locorum erectionem, & conſtructionem, ſiuè per antiquorum & dirutorum conuentuum reſtaurationem; niſi habeantur aliqua bona communia toti prouinciæ, talibus neceſſitatibus applicanda; ſtatuimus, quòd omnes eleemoſinæ ſiuè pecuniæ prouenientes ex concionibus fratrum, habitis de licentiâ Illuſtriſſimorum & Reuerendiſſimorum Epiſcoporum, per aduentum, quadrageſimã, & octauas Sanctiſſimi Sacramenti, in commune bonum Conuentuum reformatorum conferantur, & per Priores, apud quos fuerint depoſitæ, in integrum exhi-

beantur, proùt inferiùs, ſub pænâ grauiori.

20 Item ſtatuimus quod illę etiam pecuniæ in commune reformationis bonum collocentur, quas dari contigerit in eleemoſinam à parentibus Nouitiorum, aut ab ipſis Nouitiijs, deductis pro quolibet Nouitio, tàm quoad ingreſſum, quàm quoad profeſſionem, quæ neceſſaria ſunt ad veſtitum, ita vt aſſignata pro quolibet ratâ portione pro veſtimentis, quod erit reſiduum, fideliter afferatur, & communi bono Prouinciæ applicetur iuxta determinationem Congregationis, Prouincialis, & Definitorum.

21 Vt autem omnis abuſus tollatur occaſio, ordinamus & precipimus Priori Prouinciali & Definitoribus, quod pecuniarum ſummas ex eiuſmodi concionibus, aut eleemoſinis vt ſuprà prouenientes, in libro ad hoc deſtinato perſcribant, quantum ſcilicèt exhibuerit Prior talis, & talis conuentus & vndè prouenerint, accuratè notando, quorum conuentuum neceſſitatibus fuerint applicatæ, quibus religioſis pro communi prouinciæ bono cõmiſſæ, quæ tandem ſummæ in futurum reſeruatæ, caueantque ne eiuſmodi pecuniæ in alios vſus quàm in reparationes fabricarum Conuentuum, aut conſtructiones nouorum, aut lites pauperum conuentuum & proprio adiutorio deſtitutorum proſequendas, aut aliçuius alterius publicæ neceſſitatis ſubuentionem diſtrahantur. Super quo Prouincialium & Definitorum conſcientias in diem Chriſti oneramus; declarantes interim ipſos ad reddendam de huiuſmodi ſummis rationem in Capitulo prouinciali coram omnibus Priorib⁹ teneri. Volumus ſimiliter quod Priores locales pecuniarum ſummas à ſingulis Côcionatoribus aut aliundè per modum Eleemoſinarum receptas, & ad Congregationem tranſmiſſas, in acta diligenter referant, vt nihil hoc modo erroris, ſiue fraudis ſubeſſe in datis, miſſis, receptis, & expenſis pecunijs, omnibus innoteſcat; qui verò in ijs aliquid fraudis cómiſiſſe repertus

fuerit, vt proprietarius rigidè puniatur.

22 Quià vix nimio horrore, ac detestatione deturbari, propulsarique potest proprietatis vitium, religiosi status præcipua lues, quotannis volumus in singulis nostræ obseruantiæ conuentibus in refectorio, aut capitulo, nullo de fratribus absente, solemne pronunciari anathema & excommunicationem cuibrari in proprietarios, ad quam omnes respondeant. Amen.

CAPVT QVARTVM.

de Castitate.

1 VT hoc alterum nostræ professionis votum Carmelitis B. Virginis Mariæ alumnis proprium, & internæ puritati qua Deo coniungimur necessarium, maximo in studio habeatur.

2 Statuimus imprimis quòd omnes studiosè se exerceant sensuum mortificationi, oculos contineant, linguas frænent, aures sepiant, quoniam mors intrat per fenestras; os & affectus, seu motus animi ita ordinatè componant, vt casta sint eorum colloquia, gestus pudici, & actiones omnes suauissimæ Castitatis fragrantiam redoleant, vt Christi & Mariæ bonus odor sint in omni loco.

3 Mulierum quarumcunque etiàm pudicarum & deuotarum familiaritas maximoperè vitetur, adeò vt eas frequenter non visitent, & cum necessitas coget eas alloquendi, id fiat breuitèr & cum magnâ modestiâ.

4 Ordinamus quòd nullus audeat ad Ecclesiam accedere ad loquendum cum mulieribus sub quouis pretextu, nisi vocatus per Sacristam, aut ianitorem & de expressa Superioris licentiâ, sub pænâ mediâ.

5 Nullus siuè Confessarius sit, siuè cuiuscunque gradus

& digni-

& dignitatis vocatus ad Ecclesiam vel ianuam conuentus, cum mulieribus loquuturus, eis assidere audeat, maximè tempore diuini officij, nisi propter infirmitatem, vel aliam causam rationabilem, superiori statim declarañdam, sub pœna media.

6 Et vt omnis tollatur prætextus inutiliter colloquẽdi in Ecclesia, prohibemus nè fratres nostri curam suscipiant instruendi vel dirigendi deuotas mulieres in vitâ spirituali, sed in Confessione ea tantum dentur consilia quæ necessaria videbuntur pro cuiusque conditione sub pœnà graui.

7 Si necesse fuerit mulieres in proprijs domibus inuisere, hoc ita fiat, vt socius semper socium videat; & si earum confessiones sint excipiendæ, aut sua secreta spiritualia vellent suo confessario communicare, maneat semper ianua aperta, nec vnquam liceat ita separari quin socius, cum libuerit, semper videre possit socium, nec vlli credatur volenti in loco separato à socio, confessionem audire, aut colloquia habere cum mulieribus, sub pœna graui, tùm socio, tùm confessario imponenda.

8 Caueant diligenter fratres nostri, ne sub prætextu remedij dandi vel edocendi mulieres tangant, nec de earum morbis curiosiùs inquirant, sub pœna graui.

9 Nullus cantilenas, picturas, libellos de rebus amatorijs vel lasciuis componat, legat, cantet, aut apud se retineat, sub pœna graui, cui rei maximè inuigilabit superior, sub eadem pœna; verbis item æquiuocis, amatorijs, vel nimiam affectationem & mundanitatem redolentibus nullus pariter vtatur, sub eadem pœna.

10 Si quis è nostris (quod Deus auertat) parum castum aliquid verbo vel facto commiserit, si res ita sit occulta, vt bono nomini religionis non noceat, socius delinquentem fraternè corripiat; quod si tale dictum vel factum alijs notum in detrimentum religionis vertatur,

ſtatim qui nouerit renunciet ſuperiori, vt tam fratris ſaluti, quàm religionis honori opportunè prouideat.

CAPVT QVINTVM

De Obedientia.

1 CVM ex Diuo Gregorio virtus iſta ſit, quæ cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit: ſtatuimus vt iuxta regulæ noſtræ præceptũ in omnibus agendis vel omittendis, non ſolùm ſuperioris perſonam attendant regulares noſtri, ſed Chriſtum potius cogitent, qui poſuit illum ſuper capita eorum; vndè ei qui legitimè præficietur in omnibus honeſtis & licitis ſtudeant obedire ſimpliciter abſque diſcuſſione, celeriter abſque deſidia; hilariter abſque triſtitia, aut ex neceſſitate.

2 Vt obedientiæ voto trium ſolemnium præſtantiſſimo perfectè ſatisfaciant, partes obedientiæ explorent & obſeruent, eiuſmodi ſunt praxis regulæ, Conſtitutionum, Ceremonialis, inſtitutionum & mandatorum Superiorum.

3 Nihil vel minimum facere liceat abſque ſuperioris licentia, vt aquæ potum extra communes comeſtionis horas ſumere, oratorium in cubiculo diſponere, & ſimilia.

4 Nemini liceat gubernationi domus ſe immiſcere, vel aliquid ordinare, neque etiam præſumat reprehendere religioſos noſtros, niſi ille ſit, cui per ſuperiorem aut ex officio eſt demandatum, ſub pœna media, poterit tamen eos fraterna monitione docere.

5 Cùm præcipuum cuiuſlibet politiæ regimen ex in-

violabili & stabili Legum obseruantia resultet, statuimus vt positas leges constanter obseruent fratres nostri, nec eorum, quæ à superiore ordinata sunt, vim aut robur, siuè publicè siuè priuatim suis verbis, contestationibus, vel aliter quomodocunque imminuant, sub pœna inobedientium & murmurantium.

6 Nullus cuiuscunque qualitatis aut conditionis existat, cum superiore priuatim vel publicè contendere præsumat, sub pœna pro qualitate temeritatis infligenda.

7 Nullus item siuè concionator sit, siuè lector, siuè exprouincialis, aut aliquo alio titulo, vel nomine insignis audeat intra vel extra monasterium quicquam aggredi, vt conciones habere, confessiones audire, & alia huiusmodi absque licentia superioris localis, aut etiam in grauioribus Prouincialis, necnon approbatione Ordinarij.

8 Nullus item è nostris regularibus suscipiat directionem religiosorum, aut monialium, cuiuscunque ordinis sint, sine expressa licentia Reuerendissimi P. Generalis aut R. P. Prouincialis & Definitorum sub pœna rebellium.

9 Poterunt Priores locales ad postulationem religiosorum, vel monialium, de mandato Illustrissimorum & RR. Ordinariorum, extraordinarias eorum confessiones audire, & interdùm exhortationes habere, ne charitati proximi deesse videamur.

10 Cæterùm omnia quę iubentur, iusta esse sibi firmiter persuadeant fratres nostri, nisi praua ex seipsis manifestè conspiciantur: sensum proprium, repugnantias ac difficultates omnes in omni occasione superantes, plenoque sub iudicio ac voluntate Superioris, sua omnia & quæcunque eis agenda sunt, subijcientes; sic promissam obedientiam studeant operis veritate seruare.

11 Quam vim obligandi habeant regula & constitutiones, ignorari non debet. quarè declaramus regulam, & cõstitutiones, exceptis votis & officio diuino ibi cõtentis, ad culpam tantùm venialem obligare: Constitutiones autem non ad culpam, sed ad pœnam in ijs impositam vel à superiore imponendam obligant, nisi adsit contemptus, aut contrarium eius quod statuitur ex natura aut aliundè culpa sit, vel sit præceptum in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub aliqua censura; tunc enim etiam obligant ad mortale.

12 Sola trium votorum solemnium grauis transgressio, & diuini officij omissio, mortalis est: obedientiam autem tunc solummodò nostri ordinis religiosus transgreditur sub mortali, cùm ea quæ per scriptum sub formali præcepto, vel censura, his verbis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, vel sub pœna excommunicationis vel alterius censuræ iubentur, non obseruat.

CAPVT SEXTVM.

DE VITA COMMVNI & Regulari.

1 QVia religiosos vnius moris in domo Dei vnanimiter habitantes decet idem sapere, idem velle, idem dicere; Cauendum est ne in rebus agendis iudiciorum diuersitas, quæ discordiæ mater est & vnionis fraternæ inimica, inter nos reperiatur: animorum verò vnitas &

conformitas diligentissimè curanda est, mutuorum laborum, curarum, officiorum, ac exercitiorum omnes, amota omni singularitate, efficiendo participes.

2 Declaramus omnia & singula tam præfata, quàm sequentibus capitulis exprimenda, ita ad quemlibet nostræ obseruantiæ & reformationis professorem spectare, obligare, coarctare, vt qui à communi vitæ regularis ratione & forma, cessante rationabili causa infirmitatis per superiores probata se subtrahere & eximere voluerit, voce & loco priuetur, ad omnia ordinis munia ipso facto inhabilis.

3 Ministeria omnia quantumuis humilia & abiecta, vt ostiatim mendicare, culinæ ministrare, in refectorio legere, mundare domum, & similia omnibus ita sint communia, vt superior quoties expedire iudicauerit, cuilibet talia iniungere possit, considerata tamen habilitate singulorum.

4 In communi tabula officiorum omnes describantur, officiaque æqualiter distribuantur, nullo ad hoc suffragante priuilegio.

5 Quicunque per negligentiam officio sibi per tabulam assignato defuerit, puniatur pœna media; si in consuetudinem duxerit, pœna duplicetur.

6 Si quis verò legitimè impeditus munus sibi per tabulam assignatum obire non possit, roget maturè aliquem fratrem qui eius vices suppleat, aut saltem præmoneat Superiorem, sub pœna graui.

7 Nulli, cuiuscunque conditionis sint, audeant quidpiam agendum suscipere quod ipsos à communibus aut saltem à communitatis actibus præcipuis pro aliquo notabili tempore impediat, absque auctoritate R. P. Generalis vel Prouincialis, & consensu Prioris localis, sub pœna inobedientium: & quia superior commissæ sibi curæ domus & familiæ attentiùs debet inuigilare, ni-

hil possit eiusmodi aggredi per notabile tempus duraturum, vt per Aduentum & totam Quadiagesimam concionari, nisi iubente vel consentiente R. P. Prouinciali, sub pœna graui.

8 Nominationes omnibus sint communes, ita vt omnes & soli Sacerdotes vocentur Patres; cæteri verò, Fratres. Officiarij tamen cuiuslibet Conuentus proprijs officiorum suorum nominibus, vt Prior, Subprior, Magister Nouitiorum, Sacrista, Procurator, Theologiæ vel Philosophiæ Regens poterunt appellari.

9 Ordinamus insuper vt in posterum nullo pacto aliquis ex fratribus emeriti honoris vel alicuius similis gradus titulo insigniri possit. Nullus item vocetur Magister, Doctor, aut Concionator, licet doctrina præfulgeat: nec item inter colloquendum vsurpetur hic appellandi modus, Reuerentia vestra, vestra Paternitas, potest tamen tribui inferioribus vestra Charitas: Prior autem Generalis Reuerendissimi, Procurator generalis, Prouincialis, & Prior localis, Reuerendi titulo donabuntur.

10 Item quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, vt quisque in sua statione, quem conuenit, locum teneat: Ordinamus, quòd vbique tam intra quàm extra Conuentum, post Priorem Subprior immediatè præcedat alios, deinde Exprouinciales, cæteri omnes tam patres, quàm fratres, nulla cuiusque rei habita ratione; locum suæ professionis in ordine teneant.

11 Quia rationi consentaneum est, vt qui laudabiliter officium Procuratoris generalis exercuerunt in Romana Curia, habeantur præ cæteris in speciali veneratione: statuimus, vt, qui ab illo officio fuerunt hactenus absoluti, vel in posterum absoluentur (dummodò non ob sua demerita) primum locum teneant post Superiorem localem.

12 Prouinciales item titulares qui inſtitui ſolent à Reuerendiſſimo Patre Ordinis, in Capitulo generali teneāt (ſicut cæteri Prouinciales) locum ſuæ Prouinciȩ; alibi autem immediatè poſt Priorem localem, inter ſe verò, ac etiam inter Prouinciales reales, extra eorum prouinciam, locum ſuæ profeſſionis.

13 Item Ordinamus quòd nullus localis Prior, aut alius frater cuiuſcunque conditionis & dignitatis exiſtat, per ſe vel per alium, famulum aliquem ſæcularem vllo modo teneat, ſub pœna priuationis vocis & loci ipſo facto; ſuper quo ſtatuto, nec Prior localis, etiam conſentiente conuentu, nec Prouincialis Prior, neque Capitulum Prouinciale diſpenſare poterit. Quod ſi alicui ex neceſſaria cauſa, Generalis Iudicio probanda, ſocius ex eodem ordine qui illi miniſtret, concedendus erit, is niſi vigeſimum quintum agat annum, & qui cõmuni ſeruitio ſit deputatus, non concedatur, &, ſi commodè fieri poterit, ſit laicus conuerſus.

14 Fratres omnes etiam Sacerdotes, Sacratiſſimo die Cœnæ, de manu Superioris communicare teneantur, nec cuiquam liceat priuatim celebrare; & Solemnioribus diebus, quibus Superior officium facere tenetur, fratres omnes non Sacerdotes de manu facientis officium in maiori Miſſa communicent, prout in Ceremoniali præſcribitur.

15 Iubemus vt omnes non Sacerdotes, prȩmiſſā, deſignato ſibi quiſque confeſſario, peccatorum Confeſſione, alijſque extraordinarijs pietatis exercitijs, ad ſacram ſinaxim dignè recipiendam, opportunis, ſaltem ſingulis diebus dominicis, feſtiſque Domini noſtri, B. M. Virginis, Apoſtolorum, & alijs ſolemnioribus: item in feſtis ſanctorum noſtri Ordinis præcipuis, ſacram Euchariſtiam deuotiſſimè ſumant; nec vllus audeat ſe his diebus abſque ſcitu ſuperioris à Communione ſub-

trahere sub pœna media : ferijs autem quintis quandò nullum in hebdomada festum acciderit, & aliàs quoties permiserit Superior, ad sacram mensam similiter accedere poterunt, hoc cœlesti cibo animam restauraturi.

16. Etsi professionis nostræ magna pars in Carnis castigationibus & vitæ asperitate, quæ passim regulis præscribuntur, consistat; prętereà tamen, quęcunque corpori molesta, quæ acerba, tam in cibo, quàm in vestimento à fratribus nostris alacriter amplectenda suademus, vt sensualitatis motibus spiritui omninò subditis, puriùs mens cœlestibus adhęreat, in omnibus Conuentibus habeantur Cilicia colobia, indusia, & cinctoria setis intexta, Catenę ferreæ, cingendis lumbis accommodatæ, & similia ad exterioris hominis macerationem apta instrumenta, & asseruentur in Cella Prioris, & Magistri Nouitiorum, de quorum licentiâ prædictis vti licebit. Quisque præstereà suum ex funiculis compositum flagellum habeat ad flagellationes.

17 Sint etiam mortificandæ oculorum curiositati frontales fasciæ, sicut & linguæ fręnandæ, præsertim detractorum, Calumniatorum, aut famam fratrum denigrantium, Caputia linguarum ex varijs coloribus confectarum & similia.

18. Ordinamus prætereà quòd singulis sextis ferijs, illâ exceptâ, quæ est infra hebdomadam Paschæ; Item singulis diebus ieiunij per annum ab vniuersali Ecclesia indicti, & in nocte commemorationis defunctorum pro animabus Purgatorij; Aduentus autem & Quadragesimæ temporibus, ter in hebdomada ferijs scilicet secundis, quartis & sextis, non obstante quocunque occurrente festo; item ferijs, quartâ, quintâ, & sextâ maioris hebdomadę, ob memoriam passionis Christi, fratres omnes disciplinas suscipiant.

19 Prædictæ flagellationes seu disciplinæ à Paschate

vsque ad Aduentum post matutinum, ab Aduentu vsque ad Pascha, post Completorium, dato ad hoc campanellæ signo, ab omnibus in loco communi congregatis suscipientur.
20 Vnusquisque his temporibus & alijs cum benedictione & licentia Superioris, præmisso Confiteor, & Psalmo miserere mei Deus, incipiente superiore, quilibet flagellabit se tandiu, quandiu cum cantu vnisono recitabitur, quo finito dicetur Antiphona, Christus factus est &c. Kyrie eleison &c. Pater noster &c. Et ne nos &c. ℣. Saluos fac. ℣. Domine non secundum peccata &c. ℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobiscum. Oremus. Respice quæsumus Domine &c. Deus cui proprium &c. Exaudi quæsumus Domine supplicum preces &c. Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam &c. Deus qui culpâ offenderis &c. Per Christum Dominum nostrum. Amen. vt habentur in Ceremoniali.

CAPVT SEPTIMVM.

DE OFFICIO DIVINO seu de Oratione vocali.

1 CVm expressè iubeat Regula nostra, vt quicumque horas canonicas norunt, eas dicant secundum constitutionem Sãctorum Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem.
2 Nullus omnino prætextu cuiuscũque priuilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij

trahere sub pœna media: ferijs autem quintis quando nullum in hebdomada festum acciderit, & aliàs quoties permiserit Superior, ad sacram mensam similiter accedere poterunt, hoc cœlesti cibo animam restauraturi.

16. Etsi professionis nostræ magna pars in Carnis castigationibus & vitæ asperitate, quæ passim regulis prescribuntur, consistat; pręterea tamen, quęcunque corpori molesta, quæ acerba, tam in cibo, quàm in vestimento à fratribus nostris alacriter amplectenda suademus, vt sensualitatis motibus spiritui omninò subditis, puriùs mens cœlestibus adhęreat, in omnibus Conuentibus habeantur Cilicia colobia, indusia, & cinctoria setis intexta, Catenę ferreæ, cingendis lumbis accommodatæ, & similia ad exterioris hominis macerationem apta instrumenta, & asseruentur in Cella Prioris, & Magistri Nouitiorum, de quorum licentiâ prædictis vti licebit. Quisque prætereà suum ex funiculis compositum flagellum habeat ad flagellationes.

17 Sint etiam mortificandæ oculorum curiositati frontales fasciæ, sicut & linguæ fręnandæ, præsertim detractorum, Calumniatorum, aut famam fratrum denigrantium, Caputia linguarum ex varijs coloribus confectarum & similia.

18. Ordinamus prætereà quòd singulis sextis ferijs, illâ exceptâ, quæ est infra hebdomadam Paschæ; Item singulis diebus ieiunij per annum ab vniuersali Ecclesia indicti, & in nocte commemorationis defunctorum pro animabus Purgatorij; Aduentus autem & Quadragesimæ temporibus, ter in hebdomada ferijs scilicet secundis, quartis & sextis, non obstante quocunque occurrente festo; item ferijs, quartâ, quintâ, & sextâ maioris hebdomadę, ob memoriam passionis Christi, fratres omnes disciplinas suscipiant.

19 Prædictæ flagellationes seu disciplinæ à Paschate

vſque ad Aduentum poſt matutinum, ab Aduentu vſque ad Paſcha, poſt Completorium, dato ad hoc campanellæ ſigno, ab omnibus in loco communi congregatis ſuſcipientur.

20 Vnuſquiſque his temporibus & alijs cum benedictione & licentia Superioris, præmiſſo Confiteor, & Pſalmo miſerere mei Deus, incipiente ſuperiore, quilibet flagellabit ſe tandiu, quandiu cum cantu vniſono recitabitur, quo finito dicetur Antiphona, Chriſtus factus eſt &c. Kyrie eleiſon &c. Pater noſter &c. Et ne nos &c. ℣. Saluos fac. ℣. Domine non ſecundum peccata &c. ℣. Domine exaudi &c. ℣. Dominus vobiſcum. Oremus. Reſpice quæſumus Domine &c. Deus cui proprium &c. Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces &c. Ineffabilem nobis Domine miſericordiam tuam &c. Deus qui culpâ offenderis &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. vt habentur in Ceremoniali.

CAPVT SEPTIMVM.

DE OFFICIO DIVINO ſeu de Oratione vocali.

1 CVm expreſſè iubeat Regula noſtra, vt quicumque horas canonicas norunt, eas dicant ſecundum conſtitutionem Sãctorum Patrum, & Eccleſiæ approbatam conſuetudinem.

2 Nullus omnino prætextu cuiuſcũque priuilegij, vel ſuperioritatis, etiam Generalatus, à ſeruitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprij

officij munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem & prædicatoribus superiores, ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant, ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, substractione.

3 Statuimus item quòd audito primo signo pro horis quibuscunque diurnis ac nocturnis fratres se parent, & ante terminationem finalis pulsationis, omnes ad oratorium, vel ad locum deputatum celeriter conueniant, & inde ad Ecclesiam religiosè accedant, ibique pro posse humiliter & deuotè diuinum officium compleant.

4 In officijs diurnis in Choro persoluendis hic obseruetur ordo. Horæ matutinæ regulariter, vbi septem aut octo fratres choro destinati existunt, semper media nocte dicantur, nisi obstaret nationis vel regionis consuetudo aut vrgens necessitas, quæ quàm rarissimè & à Prouinciali probata admittatur; quòd si matutinum summo manè dicatur, subsequatur immediatè prima, & ab Exaltatione Sanctæ Crucis, etiam Tertia, exceptis dominicis, statimque Oratio mentalis per mediam horam; si verò media nocte, matutinum dicatur, horâ sextâ tribus cum quadrantibus ante Meridiem fratres à somno excitati alacriter surgant, & elapso quadrante altero, ad orationem mentalem per integram mediam horam duraturam, signo campanellæ vocabuntur. Quâ finitâ vel cantabitur Prima, vel grauiter pronunciando recitabitur, habita ratione Solemnitatis; tribus horis ante meridiem, signo dato conuentualis, seu maioris Missæ celebrandæ, omnes adsint in choro, cui secundum temporum varietatem, tertia aut sexta cantanda

præmittatur. Sexta verò aut nona post Missam decantatam dicentur: Vesperæ autem horâ tertiâ post meridiem, quibus immediatè oratio mentalis per mediam horam continuanda adiungatur, & horâ septimâ Completorium dicatur; horâ verò octauâ dato silentij signo, quisque Cellam, & lectulum, somnum capturus, quietè petat. Per Quadragesimam autem, & alios Esuriales dies, duabus horis ante Meridiem maior Missa celebretur, quam in Quadragesima statim sequuntur vesperæ, & ad Completorium quartâ pomeridianâ pulsatur, cui oratio immediatè adiungitur mentalis.

5 Statuimus autem, quòd qui competenti festinatione ad matutinas, aliasque horas, etiam ad cætera, quæ in Choro cantanda, vel legenda fuerint, similiter ad Refectorium, Capitulum, Sermonem, vel lectionem scholasticam, seu ad alia quæcunque, pulsatione vocatus non venerit, pœnâ leuis culpæ pro primo defectu puniatur; & si in consuetudinem duxerit, vna die vel pluribus, pœna grauis culpæ ei applicetur; si verò in contemptum duxerit, pœnæ inobedientium subijciatur.

6 Præcipimus item quòd omnes, cuiuscunque conditionis existant, in stando, sedendo, inclinando, genuflectendo, Rubricas ceremonialis exactè seruent, sub pœna delinquentibus Prioris arbitrio infligenda.

7 Item ordinamus, quòd diuinum officium, quando legendo recitatur, & quando cantatur, nunquam alta voce, sed semper submisso tenore, & graui celebretur, cum pausa conuenienti in medio versus, & in fine nulla vocis protractio fiat, quæ preferat tedium mentis.

8 Caueatur diligenter, ne ab altera parte versus incipiatur, antequàm pars Chori opposita suum versum totaliter compleuerit; ne indistinctè initiales syllabæ versiculi sequentis finales precedentis anteuertant.

9 Nullus incipiat responsoria, & quæ in Choro can-

tantur, nisi ad id deputatus: nemoque corrigat defe- ctus in Choro commissos, nisi Prior, aut ex officio Subprior, & in eorum absentia præsidens, cui fuerit cura Chori demandata.

10 Ordinamus item, quòd, cùm cantatur Kirie eleison, gloria in excelsis &c. nemo audeat sedere, præter valetudinarios, stentque nouitij & professi cum Cantoribus & subpriore ante lectorile debito ordine, sicut & reliqui omnes; caueantque dum sedendum erit ne strepitus edatur, ex motu, & collisione sedilium.

11 Dum pulsantur organa, versicularij intelligibili voce legant quæ in organo cantantur.

12 Ea in Choro seruetur grauitas & modestia quæ decet seruos & domesticos astantes coram Deo & Angelis eius: & præcipuè sic regantur oculi, vt circunquaque non respiciant; sed ipsi Deo, cui loquuntur, attenti fratres nostri psallant sapienter, corde gustando, quod ore pronunciant.

13 Præcipimus exactè, ne quis loquatur in Choro; quod si quis loquacitati assuetus sit, pœnâ grauis culpæ puniatur. Sæculares similiter, qui rarò & non nisi insignioris qualitatis, de superioris licentia in chorum intromittantur, de silentij obseruatione moneantur quoties opus fuerit.

14 Libros etiam seu codices quantumuis pios durante officio diuino nemo legat in Choro; poterunt tamen fratres, dum pulsantur organa, aut quando nihil actualiter cantatur, orare vocaliter, præcipuè Rosarium in honorem B. Mariæ Virginis recitando.

15 Qui tardè ex culpa venerit post incœptum psalmum primum cuiuscunque horæ, in medio Chori genuflexus maneat in pœnitentia, donec ei à præsidente signum detur, vt se in sedem suam recipiat.

16 Nullus Choro exire præsumat ante terminationem

officij, nisi de expressa licentia præsidentis, idque factâ priùs debitâ reuerentiâ cum genuflexione versus altare in honorem Sanctissimi Sacramenti, deinde inclinatione versus Crucifixum, supra sedem præsidentis appositum, quasi veniam exeundi à præsidente petiturus: quod si absentia moram traxerit, genuflexus signum surgendi ab eodem expectabit.

17 Completis officijs exeuntes è Choro, habeant seruare hunc ordinem. Vt videlicet Nouitij sint primi exeuntes bini, cum debita genuflexione vel reuerentia in medio facta: sequentes sint professi, & deinceps reliqui per ordinem, ita vt Prior cum seniore, aut Prouincialis cum Priore vltimi recedant.

18 Ab exaltatione Sanctæ Crucis vsque ad Pascha resurrectionis ad Chorum portabunt fratres cappas albas ad vtrasque vesperas & maiorem Missam diebus dominicis & festis à populo celebrari solitis; à Paschate verò non deferantur ad dicta officia, nisi in omnibus Sabbatis totius anni ad Completorium; & in festis duplicibus maioribus ad primas & secundas vesperas, matutinas, & maiorem Missam, licèt à populo non celebrentur, cùm inseruient missis priuatis, quando recipient Sacram Communionem, & concionibus coram populo aderunt, aut cùm extra chorum ad suffragia pro mortuis cantanda procedent.

19 Ad cantandam Antiphonam, Salue Regina, aut, Regina Cœli, singulis diebus Sabbati, ante altare B. Mariæ Virginis, in Completorio; ab exaltatione verò Sanctæ Crucis vsque ad Quadragesimam in fine Vesperarum propter deuotionem populi, omnes cuiuscunque conditionis sint, etiam Concionatores, & actu legentes, festinanter accedant cum cappis albis, sub pœna media; quod item, & sub eadem pœna tenebuntur facere in processionibus, & alijs stationibus, quæ fient

per Ecclesiam vel claustra.
20 Sciant fratres clerici professi teneri se ex vi Regulæ, & consuetudinis receptæ, quotidiè diuinum officium vel in Choro cum alijs, vel in particulari secundum Rubricas & dispositionem Breuiarij recitare: & qui post emissam solemnem professionem diuinum officium seu horas Canonicas recitare neglexerit, & de hoc fuerit conuictus aut confessus, vel violenter suspectus, carceri mancipetur ad arbitrium Prouincialis. & vbique Regulares nostri sint vniformes in cantu.
21 Teneantur ijdem Priores locales & Subpriores legi facere vnam lectionem singulis diebus de Rubricis generalibus Breuiarij, Missalis, aut Ceremonialis, congregatis fratribus immediatè post primam in loco destinato.
22 Ordinamus item, quòd omnes tam in Missis celebrandis, quàm in reliquis, sint Ceremoniarum obseruatores vniformes, maximè autem in tota Missæ celebratione nihil aliud addatur quàm quod in missali ponitur aut ceremoniali, sub pœna graui postquàm ter fuerint admoniti.
23 Cautæ sint nostræ Communitates in acceptandis fundationibus Missarum & aliorum suffragiorum onerosis, & quæ notabilem mutationem tùm in Regulis tùm in Ceremonijs Conuentus afferent. Quòd si res maioris momenti videretur, priùs consulendus erit R. P. Prouincialis, quàm aliquid vel recusetur, vel acceptetur.
24 Nullæ quoque recipiantur fundationes cum obligatione faciendi officium vel Missas celebrandi extra Conuentum; & si quæ nimis onerosæ iam susceptæ in aliquibus Conuentibus reperiantur, ex communitatis arbitrio, R. P. Prouincialis facultate & licentia, ac fundatorum consensu modificentur.

25 Item cum à Concilio Tridentino facultas detur R. P. Ordinis, tractãdi in Capitulo Generali de forma supplementi in celebratione Missarum tam pro viuis, quàm pro defunctis, ideo statutum fuit propter multitudinem Missarum quibus fieri satis aliquando non potest, vt quolibet mense, fratres in quocunque Conuentu duas Missas solemnes cantent, vnam pro viuis, alteram pro defunctis, & singulis diebus commemorationem faciant & orent pro eis à quibus Eleemosynas acceperunt; hoc est intelligendum de obligationibus Missarum quæ sacrum Concilium præcesserunt, secus verò de alijs Missis post Concilium acceptatis; quarum obligationibus à prima vsque ad vltimam est satisfaciendum, vt videre est in decreto à Sacra Congregatione Concilij Tridentini Interprete edito.

CAPVT OCTAVVM.

De Oratione mentali.

1 Illud imprimis nostrorum regularium mentibus altissimè imprimatur, Religiosi animam, Orationem esse: qua deficiente illum deficere, & vigente vigere necesse est. Quod in ordine nostro adeò verum est, vt primam necnon potissimam nostri instituti partem, in oratione & contemplatione sitam esse profiteamur

2 Decernimus vt præter iugem cum Deo internam occupationem, cui vnusquisque pro viribus & diuini spiritus vnctione vacabit. bis in die, per mediam horam, scilicèt manè, & serò per dimidiam alteram ab omnibus

in Choro vel alio loco commodiori per superiorem designato fiat simul mentalis oratio.
3 Fiet autem hoc modo. Manè vt præfertur Capite præcedenti, paragrapho tertio, Omnes omninò absque vlla dispensatione, superiores videlicèt, officiarij, Confessarij, & cæteri in Chorum conuenient, quibus congregatis præmissâ antiphonâ, Veni sancte spiritus, cum oratione, Adsit nobis quæsumus. Lector mensæ vel vnus ex Cantoribus, voce intelligibili & graui, præleget per aliquod spatium puncta meditationis ex libro pio, & per mediam horam integram orabunt: qua elapsa ad signum Superioris, primus Cantor dicet, Kyrie Eleison &c. pater noster. Secretò: ad signum posteà præsidentis, hebdomadarius subiunget, & ne nos &c. ℣. Memor esto. ℣. Domine non secundum peccata nostra. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum. Oremus. Ecclesiæ tuæ &c. Deus cui proprium &c. Omnipotens sempiterne Deus respice preces nostras. Vt habetur in ceremoniali: Serotina similiter incipietur statim post vesperas, vel in Quadragesima post Completorium; & qui absque impedimento legitimo abfuerit, pœnâ mediâ puniatur; & si in consuetudinem duxerit, pœna duplicetur.
4 Fratres item laici tempore præscripto ex superioris dispositione, vt dicetur capite de laicis fratribus, tam manè quàm serò simul in vnum omnes congregati, per horam orationi tum mentali tum vocali officium suum recitando vacabunt.
5 Vbi fratres orationi mentali simul incumbunt, nullus inde euocetur, nisi in vrgentissima necessitate quæ Superiori debebit personaliter declarari: & omnis strepitus diligentissimè vitetur, sub pœna leui.
6 Vt melius seruetur caput septimum regulæ nostræ de meditatione in lege domini & mansione in Cellulis,

ſtatuímus vt horâ ſecundâ pomeridianâ vel primâ, vbi, ſecundum vſum patriæ, veſperæ dicuntur horâ ſecunda, detur publicum campanæ ſignum, ad quod omnes vbicunque fuerint celeriter ad cellas ſe recipiant ſacræ lectioni, & ſolitudinis occupationibus ſtudioſè vacaturi, quo tempore nemo, niſi vrgente neceſſitate, & de Superioris expreſſo mandato loquatur cum ſæcularibus, nec cum fratribus ſub pœna media.

7 Fratres noſtri præſertim circa officia externa charitatis erga proximum occupati, tempore à Priore aſſignando exactè ſemel in anno ſpiritualibus decem dierum exercitijs, ſenſus colligere, animum reficere, & ſpiritũ deuotionis, negotiorum multitudine aliquando penè extinctum, nouo feruore accendere teneantur ſecundum ordinem ac modum præſcriptum in directorio ſpirituali, qui in hoc negligentes fuerint, à ſuo prælato benignè moneantur, & tanquam indeuoti corrigantur.

8 Ter in die ab vnoquoque examen conſcientiæ fiat, ante prandium, ante cœnam, ſiue refectiunculam, & ſerò ante dormitionem.

9 Quotannis item fiat votorum ab omnibus renouatio tempore orationis quadraginta horarum, quæ pro diuerſitate conuentuum, diuerſo etiam tempore ſemel in anno à Superiore priuatim inſtituetur, cum licentia etiam Ordinarij ſi opus fuerit, vt plurimum initio ieiunij Septembris, Aduentus, aut anni: idque ſub pœna Priori locali per Prouincialem in viſitationibus diſtrictè ad eius arbitrium infligenda

10 Ad Conuentum ſolitudinis mittentur qui occupationibus externis, aut regimini Conuentuum longo tempore fuerint occupati, vt ſpirituales vires reſumant: ij etiam è ſtudentibus; quibus abſoluto ſtudiorum curſu Prouincialis iudicauerit expedire.

CAPVT NONVM.

De ſilentio & locutione fratrum.

1 CVM multiloquio quiſque ſeruiens rectitudinē Iuſtitiæ tenere non poſſit, dicente Propheta, vir linguoſus non dirigetur in terra, non ſine magni ratione Conſilij venit, quod Regula noſtra tanta eſt in commendatione ſilentij; quandoquidem in eo conſiſtit Iuſtitiæ cultus: ideoque ſtatuimus quod iuxta regulæ tenorem, dicto completorio, teneant vniuerſi ſilentium vſque ad primam dictam ſequentis diei, etiam tempore Quadrageſimæ, quo licèt maturiùs dicatur Completorium, nemini loqui liceat, nec ipſis fratribus ſtudentibus diſputare, aut ſimul conferre; ſed ſolummodò Lectores poterunt aliquid dictare, aut explicare, ſicut etiam ſpirituales exhortationes haberi; alio verò tempore diei, licèt non adeò ſtrictè præcipiatur ſilentij obſeruatio; illam tamen plurimùm commendamus, ordinamuſq; quòd null' cum alio religioſo loquatur abſq; facultate, niſi recreationis quotidianę tempore, aut niſi interueniat magna neceſſitas, & tūc breuiter voceq; demiſſa.

2 Statuimus, quod fratres noſtri ſilentiū cōtinuum teneāt in choro, ſacriſtia, refectorio, clauſtro, dormitorio, & in cellis, ſub pœna media: vbi verò non eſt alius ad recreationē ſeu deābulationē cōmodus loc', poterūt fratres deābulare & modeſtè in clauſtris poſt prādiū & cœnā ſimul colloqui.

3 Si aliquando in dormitorio & cellis de rebus neceſſarijs loquēdū fuerit, id fiat breuiter, & humiliter, demiſſa voce, & honeſtè; & qui ſępi' & diuti' in dormitorio intra vel ex

tra cubicula loqui deprehẽſus fuerit, pœna graui puniatur.
4 Vt regulę doceti in ſilẽtio operandũ, ſatisfaciãt fratres noſtri, ſtatuim⁹, quòd dũ extra ſilentij tẽpus fratres aliquid in cõmuni efficiẽt, vel de libro ſpirituali aliquid vno legẽte audiant, vel mentaliter aut vocaliter priuatim orent.
5 Poſt ſolita deãbulationis interualla nulli liceat ad colloquendum immorari in hortis, clauſtris, aut alijs locis, ſed ſtatim poſt datum ſignum terminatę recreationis in cellã ſe recipiant, ſub pœna leui tranſgreſſoribus infligenda.
6 Inter loquendum clamores vitentur, & contentiones, ſeu pugnæ verborum, quæ ad nihilum valent, niſi ad ſubuerſionem audientium & pacem turbandam; qui contra egerit pro modo culpæ puniatur.
7 Quod ſi aliquando extra quadrageſimam Completorium dicatur ante cœnam propter populi deuotionem, aut feſtorum ſolemnitatem, tunc poterit Superior mentem regulæ benignè interpretando declarare, qualiter fratres noſtri pijs ac vtilibus colloquijs animum poſſũt recreare, vſque ad ſignum dandũ; dabitur autem ſignum circa horã qua alijs dieb⁹ cõmuniter finitur Cõpletorium, & tũc omnes examinaturi cõſcientiam, & benedictionẽ à Superiore recepturi, ad Eccleſiæ chorum ſeu oratorium feſtinent.
8 Quicunque ſilentij tempore ſilentium fregerit, pœnam mediam ſubeat, maiorem, niſi reſipiſcat; frangitur autem ſilentium non locutione ſolum, ſed quolibet alio ſtrepitu, qui alios poteſt inquietare.

CAPVT DECIMVM.

De Ieiunio & Comeſtione fratrum.

1 LICET ex mente diui Auguſtini Ieiunium magnum, & generale, ſit abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus

ſęculi, aliud tamẽ eſt Eccleſiaſticũ ſeu regulare, quod in abſtinẽtia cibi ſecundũ Eccleſię regulã & modũ cõſiſtit, cuius obſeruãtia Deo appropinquamus, & reſiſtentes Diabolo, blanda vitia ſuperamus.

2 Quarè ſtatuimus quòd fratres noſtri præter ieiunia ab Eccleſia inſtituta, vt quadrageſimæ, quatuor anni temporum, & cœtera, quæ ſecundum conſuetudinem locorum obſeruantur, ieiunent etiam per totum Aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.

3 Ab Exaltatione autẽ ſãctæ Crucis incluſiuè, quæ in decimam quartã Septẽbris incidit, vſque ad Paſcha reſurrectionis ieiunent ferijs ſecundis, quartis, ſextis, & Sabbatis, extra tempus quadrageſimale & Aduentus, quo ſingulis diebus, exceptis dominicis, ieiunatur. Diebus ieiuniorum Ordinis poterunt ſerò fieri refectiunculæ, quæ in ieiunijs ab Eccleſia indictis modiciſſimæ ſint.

4 Per totum verò anni curriculum ferijs ſextis ieiunium obſeruetur in honorem dominicæ paſsionis, & ferijs quibuſque quartis fratres à carnibus abſtineant, ſuiſque temporibꝰ ſuperius aſſignatis etiam ieiunẽt tùm vi regulæ, cùm ſpeciali deuotione, & cultu ordinis erga beatiſſimam Virginem Carmelitarum Patronam.

5 Sciant autem in excurſu anni hæc eis ieiunia iniũgi ſingulis diebus præcedentibus quodlibet feſtum beatiſſimæ Mariæ Virginis, Conceptionis nimirum, Natiuitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, Aſſumptionis, Sanctæ Mariæ ad niues, ac Solemnis Commemorationis decima Sexta Iulij, necnon omnium Apoſtolorum, præterquam Sanctorum, Ioannis Euangeliſtæ, Philippi & Iacobi, & ſancti Barnabæ: in Litania item maiori, id eſt in die ſancti Marci, ſi non in Dominica venerit, in tribus diebus Rogationum ante Aſcenſionem Domini, & in vigilia Corporis Chriſti: poterunt autem Priores de vſu lacticiniorũ vel abſtinentia more aliorum re-

gularium ſecundum varias locorũ conſuetudines ordinare.
6 Item ſi Natiuitas Domini in aliquem abſtinĉtiæ diem inciderit, abſtineatur; non verò ieiunetur. Imo & ab ipſa abſtinentia poterit Prior Prouincialis diſpenſare.
7 Alio verò tempore tribus duntaxat diebus ſingularum ſeptimanarum carnibus veſci licebit. Generalis tamen, perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, plures vel pauciores ad ieiunium vel carnium eſum dies diſpenſare & nominare valeat.
8 Et qui vltra formam præſcriptã ſiue in Conuentu ſiue extra aliter carnes comederit abſq; ineuitabili neceſſitate, vel infirmitate, aut notabili debilitate, quę euidẽter appareat, pro qualibet refectione pœnam grauis culpę per duos dies ſuſtineat, quod firmiter ab omnib⁹ volum⁹ obſeruari, etiã prędicatoribus tẽpore Aduentus, Quadrageſimę, quòd ſi ſecus fecerint, eos voce & loco priuatos eſſe denũciamus.
9 Et quia Priores in aliorum exemplum debent præire in omnibus, diſtrictè pręcipitur, & mandatur, ne in poſterum poſſit inſtitui Prior qui ob aliquam infirmitatẽ habitualem non valeat à carnibus in diebus iuxta formam ſuperiùs pręſcriptã abſtinere, & ieiunia ordinis obſeruare, vitáque cõmunem ſequi & alia munera ſaltem vt plurimùm obire, & maximè diuinis officijs diu noctuque intereſſe.
10 Ad prandium regulariter dabitur ſignum terminata maiori miſſa, hora cum dimidia ante meridiem; & pro cœna, quinta pomeridiana, exceptis diebus ieiunij ab Eccleſia indictis; quibus prandij ſignum datur tantùm mediâ ante meridiem; refectiunculæ verò mediâ poſt quintam pomeridianam; niſi vſus patriæ aliter obtinuerit.
11 Sint prope refectorium vnus aut duo fonticuli, è quibus aqua ad lauandas manus ſic cõmodè fluat, vt tres vel quatuor ſimul ſe abluere poſſint: Item mappæ lineæ duæ vel plures ad man⁹ detergẽdas antequã ad mẽſã accedatur.
12 Omnes fratres etiam Superiores, quicunque illi ſint,

eodem pane, vino, obſonio, ſiue eadẽ pitantia in cõmuni menſa, niſi infirmitatis cauſa impediti fuerint, veſcantur; neq; ſingulare aliquid quo priuatim quiſq; in cibũ vtatur vllo modo afferri poſſit: ſiquis in ea re peccauerit, die ſequenti nihil alimenti percipiat, niſi panem & aquam.

13 Quotidiè ante prandium & cœnam omnes fratres tàm profeſſi, quàm nouitij, & patres aliquando vt cęteris ſint exemplo, niſi adſint ſæculares aut extranei religioſi, coram præſidente dicant culpas de defectibus in choro vel Eccleſia commiſſis: Item de rebus in officinis effractis, quarum etiam maioris humiliationis cauſa fragmenta inibi exhibeant.

14 Per totam primam menſam habeatur lectio; per ſecundam etiam vbi commodè poterit; nec vllo modo poſſit vnquam de ſilentio diſpenſari in refectorio ſub pœna priuationis ab officio Superiori permittenti; in hoſpitio autem, ac valetudinario, duret lectio per aliquod ſpatium in initio comeſtionis, ex præſidentis præcepto, intermiſſa, in fine reſumatur; ſemper autem ſtando gratiarum actiones perſoluantur.

15 Non liceat patribus qui in abſentia Superioris in refectorio præſident, mortificationes aut pœnitentias niſi leuis culpæ iniungere; ſed nec cuiquam reprehenſiones, aut monitiones facere.

16 Ad refectionem matutinam imprimis legitur cãtãdo cãtu lectionum, omni tẽpore, caput vnum, aut duo, vel plura ex ſacris Biblijs, non interrupta ſed cõtinua ſerie librorum, & capitum, ab initio ad finem vſque, omiſſis libris Leuitici, Cantici Cãticorum, & quibuſdam obſcurioribus Prophetarum capitibus, alijſque aliorum librorum, ſolùm genealogias recenſentibus, vel prolixas hominum ac familiarum nomenclaturas continentibus, lectore ſemper ad ſuggeſtum ſtante, capite diſcooperto, poſt quæ lecta, in perlegẽdo aliquo libro vulgari, honeſto, & ad pietatem

animos erudienti, qui à Priore, aut Subpriore, aut Magistro Nouitiorum, non sine magno delectu designari debet; quod reliquum est refectionis tempus lectore sedente & cooperto capite consumetur.

17 Ferijs quartis post lectionem bibliorum, caput vnum, aut duo capita nostrarum Constitutionum lectioni succedent: Sextis item ferijs post sacræ scripturæ lectionem ex regula nostra quinque aut sex capita legantur: si verò his duabus ferijs solemne aliquod festum occurrat, vel adsint extranei, lectio hæc regulæ & constitutionum prætermittatur, & in alium proximum diem transferatur.

18 In vespertina refectione, sumenda est semper lectio à præfato libro pio vulgari, aut à vitis sanctorum, præcipuè nostri ordinis: diebus dominicis expositio sancti Euangelij in missa prælecti legi debet, aut saltem ea quæ est in Breuiario.

19 In domibus studiorum præter hos libros, alij tùm vulgares, tùm latini, historiarum, Sanctorum Patrum, aut expositorum sacræ Scripturæ legi poterunt, approbati tamen priùs à Prouinciali; illi autem esse debent, qui & pietatem promoueant, & vocationis propriæ propositum confirmare possint.

20 In paruis Cõuétibus & hospitijs initio per quadrantem aut sesquiquadrantem legatur scriptura sacra; & paulisper sub finem refectionis, legatur de libro spirituali: reliquo verò tempore silentium exactè seruari præcipimus sub pœna graui Superiori infligenda.

21 Cùm lector in fine lectionis dicet, tu autem &c. omnes surgant, & in suis sedibus stantes detecto capite respondeant, Deo gratias: ad secundum autem præsidentis signum, in suo quisque loco se componat deuotè gratias acturus.

22 Vt frugalitatis apud sanctos Patres tantæ cõmenda-

tionis in refectorio habeatur ratio; Declaramus in prādio solitum cibum quando non ieiunatur esse vnum pulmentum & vnum ferculum;quando verò ieiunatur, adiungatur alterum ferculum, quibus omnibus fructuum quidpiam, si suppetat, apponatur. In Cœna verò declaramus solitum cibum esse vnum tantummodò ferculum, cui fructus aliquis vel acetaria similiter addantur. Non intendimus tamen vi istius declarationis consuetudinem excludere iuxta quam laudabiliter superiores aliquibus solemnibus diebus iusta de causa victui ordinario aliquid adijcere consueuerunt. Diebus ieiunij ordinis ad collationem cum parua portione panis apponi poterunt fructus aut herbæ coctæ vel crudæ, radices, aut similia legumina.

23 Seruetur in mensa frugalitas, nec dapes condiantur nimis artificiosis gulæ irritamentis, sed solummodò adhibeatur sal, acetum, oleum, vel butyrum, cibique industria fratrum honestissimè componantur. legumina tamen notabiliter noxia facili aliquo correctiuo poterunt temperari.

24 Caueant fratres huc illucque in mensa circunspicere curiosè, siquis bis aut ter monitus se non emēdauerit, publicè à Superiore corripiatur.

25 Omnes in plicandis mantilibus, componendis discis, poculis & alijs mensæ vtensilibus ordinandis, vniformes sint.

26 Nemini liceat eorum quæ sibi defuerint in mensa aliquid pro se petere nisi panem, sal, aquam,gladium, coclear, & pateram: at qui proximè assidet, pro vicino petat indicans seruitori aliquo signo siquid desit.

27 Nemini cibus vel potus ministretur vltra refectiones ordinarias, nisi de superioris licentia, præterquàm in manifestissima necessitate.

28 Nullus secum quid comestibile ad mensam asportet etiam vel minimum, vt fructus, herbas, acetaria, & simi-

lia, ſub pœna leui; neque etiam in cubiculo pyra, ſeu poma, &c. ſeruet ſub eadem pœna.
29 Nullus è fratribus tardiùs ad refectorium accedens menſæ audeat accumbere; quin priùs ad præſidentem acceſſerit, & genuflexus, niſi adſint externi, vndè veniat, aperuerit, ſub pœna mediæ culpæ pro primo defectu, & grauioris, contra facere volentibus infligenda: ad quod etiam quoſcunque patres teneri volumus, dum Prior, aut Vicarius, aut Subprior domus refectorio præeſt.
30 Curet Superior vt ſi fieri poteſt omnes ad primam menſam veniant; præſertim verò eo tempore quo poſt prandium nona dicenda eſt, qui autem ſua culpa defuerit, pro primo defectu pœna leui puniatur: ſi in conſuetudinem duxerit, toties pœna leui puniatur.
31 Nulli vnquam liceat ſub quocunque prætextu prandium vltra horam poſt primam menſam, aut cœnam vltra ſeptimam horam ſerotinam differre, niſi grauis neceſſitas aut ſuperioris adſit diſpenſatio, ſub pœna graui.
32 Nullus in refectorio loquatur nec alta nec ſubmiſſa voce ſub pœna leui; ſiquis autem ibi loquax fuerit, grauius puniatur.
33 Item Ordinamus quod immediatè poſt prandium & cœnam ſeu refectiunculam omnes recedant de refectorio, & non remaneant aliqui niſi ſeruitores menſæ, qui opportunè ſe expediant & recedant ſub pœna vnius diſciplinæ aſſuetis infligenda.
34 Nullus frater veniat ad fratres vltimi Conuentus ſeu ſecundæ menſæ vel ad alios extra refectorium comedentes, demptis ſeruitoribus deputatis, ſub pœna media.
35 Prohibemus ne fratres noſtri in Ciuitatibus & locis in quibus Conuentus habemus, comedant & bibant niſi

de Superioris dispensatione & pro necessitate, præterquam de eorum licentia apud Episcopos, Principes, Patronos, & Magnates, vel in domibus religiosorum, sub pœna grauis culpæ; & si contingeret ob rationes magni momenti esse aliquando dispensandum cum aliquo, pro alijs honestis personis, id rarissimè fieri præcipimus.

36 Mandamus sub pœna priuationis officij ipso facto incurrenda, omnibus Prioribus & Vicarijs Conuentuum nostri sacri ordinis, ne extra refectorium, siue aulam communem ad hoc deputatam permittant comedere fratres, nisi infirmitatis causa vel alterius necessitatis euidentis, in hospitio vel infirmitorio.

37 Item sub pœna grauioris culpę per tres dies infligenda nullus frater comedat, aut bibat, siue solus, siue cum fratribus, siue cum sæcularibus, in dormitorio, aut in quibuscunque alijs cameris vbi fratres commorantur.

38 Tempore item quo diuina celebrantur in Ecclesia, nullus intra monasterium etiam in refectorio cum sæcularibus comedat, vel eos in talibus associet, nisi in euidenti necessitate.

39 Extra refectorium vel aulam communem ad hoc deputatam Priores fratribus non permittant cum sęcularibus comedere, nisi rarissimè, & pro ineuitabili necessitate, de patrum Consiliariorum assensu, & tunc dapes religiosissima parcitate temperentur, vt nos sciant ab omni Conuiuiorum specie abhorrere.

40 Raro etiam sęculares, & non nisi honesti viri, & de licentia Superioris inuitentur, vt apud nos comedãt; quoties autem expedierit, in refectorium ducantur tempore primæ mensæ.

41 Quoties verò sæculares, aut externi religiosi nobiscum in refectorio comedent, eis honoratior post præsi-

dentem locus aſſignetur, ex cuius diſpoſitione,aut Procuratoris, de induſtria fratrum ſeruitorum, vltra cibaria Conuentus, coram ſingulis eorum, vnum aut alterum ferculum, in catinis aut vaſculis eiuſdem magnitudinis & figuræ cum cæteris, apponatur; attentique ſint ijdem ſeruitores, ne eis aliquid vini, aquæ, aut panis deſit, & vt ſub finem comeſtionis aliquos fructus ſuperaddant: finito prandio, gratijſque redditis ducantur ad abluendas manus, & de cætero ſuis verbis ædificent.

42 In die profeſſionis Nouitiorum, aut quo quis fratrum primam miſſam celebrauerit, nullum extra refectorium paretur Conuiuium, ſed tres aut quatuor ad ſummum ex proximioribus conſanguineis in refectorium poterunt admitti cum conſueta frugalitate, totoque comeſtionis tempore cum ſilentio habebitur lectio.

43 Item ordinamus quod nullus frater audeat ſeu præſumat ſine expreſſa licentia mittere panem extra Conuentum aut vinum ſeu quid ſimile, vel quomodocunque aliter dare, ſub pœna proprietariorum & rebellionis.

CAPVT VNDECIMVM.

DE MANSIONE IN CELLVLIS & dormitione fratrum.

1 CEllæ cõponantur honeſtè,ideòq; bis, vel ſaltem ſemel in hebdomada mundẽtur, eamq;in eis fratres honeſtatẽ & modeſtiã ſeruent, quę

decet sanctum & Deo dicatum locum.

2 Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes vt dictum est cap. 3. huius partis, §. 7. ad certam formam redigendi erunt.

3 In Cella nihil pingere aut aliquid notabile mutare absque Superioris facultate liceat.

4 Quisque in patēti loco & Superiori obuio libros suaq; omnia exponat: quod siquis libros aut alia sub strato alioue loco recondito absconderit, pœna graui puniatur.

5 Cellæ fratrum nunquam interiùs ita claudantur vt dictum est, quin semper à Superiore possint aperiri sub graui pœna: sit autem in qualibet porta fenestella, ita vt quoties voluerit Superior possit introspicere: siquis autem alius ausus sit inspicere, pœnam grauem subeat.

6 Nemini liceat cuiuscunque conditionis, etiamsi sit hospes, de die vel nocte cellam alterius intrare sine expressa Superioris licentia sub pœna graui: quod si quisquam surripuisse aliquid deprehendatur, voce & loco priuetur: sin autem manuscripta, collectiones, & similes cuique proprios labores surripuerit, ipso facto excommunicatus sit, excommunicatione R. P. Generali aut Prouinciali reseruata.

7 Vbi habita fuerit licentia Cellam alterius ingrediendi, nunquam intretur, donec, qui intùs est, facultatem fecerit, præmissa compulsatione pia, & post ingressum fusa breui coram precario cubitali ad Deum oratione.

8 Vbi Cellam alterius cum venia frater est ingressus, quandiu ibi simul sunt, maneat ianua semper semiaperta nisi aliter Superior permiserit.

9 Item ordinamus quod quicunque frater Cellam alterius facto signo post completorium aut alio tempo-

re dormitionis ſine licentia præſidentis intrauerit, pœna priuationis vocis & loci ipſo facto puniatur, carenti voce & loco pœna grauior per quinque dies imponatur, niſi occurreret neceſſitas, vt morbus ſubitaneus.

10 In aliquo commodiori Dormitorij loco per totam noctem lampas colluceat; in priuatis verò Cellis nulli camini permittantur.

11 Statuimus quòd fratres noſtri in tunica alba & paruo ſcapulari cum caputio vel bireto ſemperque ſuccincti dormiant & decumbant: huius ſcapularis nocturni color erit griſeus brunus, latitudo vnius palmi ad minus, longitudo duorum palmorum, aut talis, vt poſſit vtrinque ſuccingi ad lumbos, infirmis exceptis, qui in omnibus licitis, quæ ad ſanitatem recuperandam pertinent, Medicis obedient: quicunque indecenter alio modo decumbere inuentus fuerit, pœna graui puniatur; ſi conſuetudinem fecerit, panem & aquam, caputio & ſcapulari priuatus, in refectorio per diem comedat; decet enim nos omni tempore habitum noſtræ profeſſionis proteſtatiuum deferre.

12 Dormiant fratres cella & feneſtra ſemper clauſis, nec è cella egrediantur, niſi decenter veſtiti.

13 Tempore dormitionis fratres in Cellis maneant ibique neque verbo, neque alio modo ſtrepitum faciant, vnde dormientes poſſint inquietari ſub pœna leui pro primo defectu,

14 Vſus linteaminum lineorum, culcitrarum, ſeu lanearum mattarum in dormitorio penitus inhibemus, ſed vtantur fratres coopertis laneis ſeu langetis coloris albi, ſimplicibus & honeſtis; & ſuper ſaccos paleaceos & puluinarium ex lana vel pluma inter duo linteamina lanea dormiant; infirmi verò ac hoſpites extra dormitorium ſuper culcitras & mattas laneas poſſunt dormire etiam cum lineis linteaminibus.

15 Nullus in Cella candelam applicet lecto, aut parieti ligneo, vt decumbens legat propter incendij periculum; qui contra fecisse repertus fuerit, pœna graui puniatur.
16 Item statuimus & mandamus quod quicunque frater, per cuius negligentiam ignis in dormitorio vel alio loco Conuentus appositus fuerit, vel accésus, statim carceri mancipetur, & attenta damni grauitate puniatur.
17 Dato signo ad decumbendum omnes statim lectum petant, nec vllus absque licentia vltrà vigilare audeat sub pœna media; factaque visitatione curet Superior singulis diebus videre, autq; sibi nuntiari, quinam post factam pulsationem silentij accensam tenuerint candelam.
18 Excitator tàm de nocte quàm de mane omnium patrum & fratrum Cellarum ianuam habebit pulsare, & eos excitare, si opus fuerit, lumen etiam porrigere: qui autem à matutino fuerint exempti, signum aliquod exterius, puta strophium in cellæ ianua appendant: nec vllus nisi exemptus tale signum audeat apponere sub pœna grauis culpæ.

CAPVT DVODECIMVM.

DE HONESTATE MORVM Intra Monasterium seruanda.

1 IVxta Diui Pauli monitum omnes se honore præueniant, & cum debita modestia, & reuerentia simul loquantur.

2 Sint fratres nostri in incessu graues, & modesti, manusque sub scapulari teneant, nec gestibus inter loquendum assuescant.

3 Inter loquendum nec ſermones alterius noui diſcurſ⁹ exordio præueniāt,caput huc illuc non moueāt leuiter,aut immodeſtè oculos in aliorum vultus defigāt;veſtes ſemper mūdas teneant & cum religioſa decētia compoſitas : denique ſe ita modeſtè componant , vt ſibi inuicem ſint ad virtutem & honeſtatem exemplo.

4 Nulla intercedat inter fratres ſingularitas aut nimia familiaritas , ſed omnes æqualiter in Domino ſe inuicem diligant ,qui bis aut ter moniti à ſingulari conuerſatione non deſtiterint, pœna media corrigantur.

5 Si quis fratrū nominibus appellatiuis fictitijs,& ridiculis alios appellauerit,pœna leui pro primo defectu;ſi aſſueſcat,pœna media puniatur;& dū alter alterū alloquitur, non hac voce , tu , tua , & alijs eiuſmodi ; ſed vos,veſtra, ſemper vtatur , ſub pœna media aſſuetis infligenda.

6 Nullus audeat nationis, ſeu patriæ, familiæ,aut præcedētis vitę aut cōditionis probra vlli fratrū obijcere,nec de vitijs ac cōditionib⁹ diuerſarum nationū ſermones inſtituantur, vt potè perfectæ Charitati cōtrarij: ſiquis autem talibus aſſuetus ſermonibus ſe non emendauerit , toties quoties pœna graui puniatur; qui verò de ſuis natalitijs ſe vanè iactauerit , pœna media afficiatur.

7 Nemo etiam alium iocoſè tāgat,pede vel manu pulſet, vel moueat,quę manifeſta immodeſtiæ ſigna ſunt.

8 Si qui prętextu etiā ioci, aut nimiæ familiaritatis, verbis ſeſe lęderēt, abſente Priore & Subpriore , profeſſione antiquior curabit vt deſiſtāt, & ſtatim de tali altercatione Superior moneatur ab ijs qui interfuerunt ſub pœna media ; habeatque contentioſos ſtatim corrigere.

9 In deābulationibus & ſpatiationibus ordinarijs quæ fient per horā poſt prādium aut cœnam,poſt refectiunculam verò diebus ieiunij per ſemihoram, ambulando, aut ad ignem accedēdo,pro tēporum diuerſitate, vitētur clamores & cōtentiones,ſermoque inſtituatur de rebus pijs,

& vtilibus ad historiam tùm diuinam cùm humanam pertinentibus, caueaturque illo tempore à detractionibus, colloquijs de rebus politicis, & varijs rumoribus, quibus referendis aut audiendis quicunque delectatur, cor illius vanum esse perhibetur; ex abundantia quippè cordis os loquitur.

10 In Conuentibus studiorum agatur illo tempore de rebus ad doctrinam spectantibus; in alijs item de rebus moralibus seu casibus Conscientiæ & sacra scriptura, curetque Prior si adesse non possit aliquem prȩficere idoneum & capacem qui præesse possit, & dubia proposita soluere; inutilesque euitentur quæstiones nimiam animi contentionem requirentes.

11 Tempore diuini officij nullus intra Cōuentum cum sæcularibus conuersetur, nisi manifesta intercedat necessitas; tuncque non in Claustro, sed in alio loco magis ab Ecclesia remoto, quantùm Cōuentus commoditas patietur.

12 Qui falsos, inter fratres, rumores sparserit, vel seminauerit discordias, dicendo. N. hæc de te & talia dixit, aut de rebus aut fratribus aliorum Conuentuum scripserit aut loquutus fuerit, nisi quæ ædificationis aut alicuius exempli esse possunt, pœnam grauem sustineat; de Prælatis autem Ecclesiæ, principibus Ecclesiasticis, sæcularibus, & aliorum ordinum Religiosis, semper cum summa reuerentia & charitate loquendum esse statuimus sub eadem pœna graui.

13 Siquis etiam verba quæ iuramentum redoleant proferre consueuerit, pœna leui, aut etiam media, si negligat se corrigere puniatur: si autem, quod Deus auertat, ausus sit iurare per Deum aut sāguinem Christi, & similibus, pœna grauioris culpæ puniatur.

14 Nullus mittat nuncios ad quoscunque sæculares, neque nuntia recipiat à quocunque externo, vel etiam re-

ligioso, inscio Superiore, sub pœna leui,
15 Nullus de moribus Patrum aut fratrum nostrorum, aut ipsorum conditionibus tàm in statu regulari, quàm sæculari, vt de progenie, opibus, officijs &c. cum sæcularibus verba faciet, si indè vilior æstimatio tàm de religione quàm de membris eius haberi possit; qui circa hæc deliquerit, aut circa hoc deliquisse violenter suspectus fuerit, pro grauitate delicti puniatur.
16 De rebus ad religionis gubernationem aut statum pertinentibus nec curiosè inquirant; nec de hoc aut illo quid futurum sit conijciendo, indicent aut diuulgent.
17 Cùm virtus temperatâ ex recreatione magis erigatur quàm excidat, vt tempestiua laboris intermissione ad opus fiant vegetiores fratres nostri, concedimus quòd ter aut quater ad summum in anno possint recreari intrà monasterium, cùm opportunum iudicauerit Prior; tuncque diligenter inuigilabit vt eiusmodi extraordinarijs recreationibus nulli prorsus sæculares intersint.
18 Non fiant ijs temporibus quibus plus solito sæculares feriantur, Vt in Epiphania Domini, & Bacchanalibus diebus; quo tempore decet seruos Dei super offensis in Deum admissis plus solito condolere.
19 In eiusmodi recreationibus poterunt fratres refectionem sumere in aula communi, & modestè inter se colloqui: ita tamen vt frugalitas & sobrietas sit commendatissima; sequenti autem die quo Capitulum culparum habebitur, animaduertet & monebit Superior, si qui fuerint excessus commissi, vt in posterum vitentur.
20 In eiusmodi recreationibus clamores maximè deuitētur, itéque luctę, agitationes nimię, & cętera omnia immodesta, & ad minimū præsidētis signum, omnes illicò sileāt, & pijs exercitijs mentem ad Dei pręsentiam reuocent.
21 Illis recreationis dieb⁹ semper quadrāte ante quaslibet horas canonicas, dato cāpanellæ signo, quisq; in Cellam

recipiat; nec vnquam vltra horam octauam ſerotinam protrahantur, finianturque cum recitatione Completorij vel examine Conſcientiæ, ab omnibus ſimul in Choro, vel oratorio, faciendo.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

DE HONESTATE MORVM extra Monaſterium ſeruanda.

1 SICVT interna noſtræ ſacræ religionis perfectio ſtat in feruentiſſima Charitate; ſic extern⁹ religionis honor & dec⁹ in decéti modeſtaq; erga ſeculares cõuerſatione cõſiſtit. quare.

2 Ordinamus quòd fratres cuiuſcũque conditionis exiſtant, egredi non audeant, niſi ex cauſa, & cum ſocio licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, ſub pœna Apoſtatarum.

3 Ante egreſſum è monaſterio ſimiliterque poſt regreſſum, cum genuflexione in loco patenti ad ianuam Clauſtri deſignato fiat breuis oratio, & vnuſquiſque nomen ſuum ex communi tabella, in qua ſingulorum nomina ſcripta ſunt, per ſe vel per alium extrahat, Superiorique quò vadat, & ad quæ negotia, intimet, & de rebus gerendis õnes rationẽ reddãt tàm in egreſſu, quàm de geſtis in reditu, in quo mox nec depoſitis cappis genuflexi benedictionẽ ad pedes Superioris recipiãt, ſub pœna media.

4 Nõ liceat per vrbes, aut vicos earũ vllo modo deãbulare ſine cappis, nec ſine illis vnquã quouis in loco cõcionari ſub pœna graui; ſic autẽ modeſtè bini incedãt vt non colloquãtur inuicẽ, ſed ea cũ honeſtate ſe cõponãt vt popul⁹ ex eorũ inceſſu graui exẽplum capiat, & portẽt omnes vtrũque caputium griſeum & album, ſub pœna graui.

5 Quęstuarij tamen accedentes extra Ciuitates & oppida poterunt sine cappis & cum pileis ad quęstuandum per villas & pagos accedere: similiter sine cappis poterunt etiam exire fratres commorantes in Conuentibus qui sunt extra mœnia ciuitatum, nisi velint eas ingredi, vel per vrbem quam incolunt deambulare.

6 Curent diligenter fratres nostri, vt progrediendo per vrbem & alia loca, vestimenta, quantùm fieri poterit, múda religiosè & cóformiter cóposita habeãt, non nudo capite sed caputio cooperto ambulent sub pœna media.

7 Licétiæ generales exeundi nulli omnino cócedantur, sed toties quoties facultas habeatur à Superiore, qui non aliter eam cócedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiúgat, non petétis rogatu sed arbitrio suo, neq; eundem sæpius: Cótrauenié̃tes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitriũ plectantur: eandẽ etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit, iuxta decreta Clemẽtis 8. quæ strictè etiã prohibẽt fratrib⁹ extra conuẽtus claustra morari, nisi grauissima de causa, à sola sede Apostolica probanda.

8 Caueãt ne in eiusmodi egress.b⁹ tẽpus inutiliter insumatur, diuti⁹ immorãdo, aut alia loca seu domos adeũdo, quã quę à Superiore ordinata fuerũt sub pœna graui: q, si fortè Procurator, Cófessarij, aut graues aliqui patres per vrbẽ aut aliũ locũ ĩcedẽtes vocẽtur, vt infirmos visitẽt, vt quędã negotia cõuẽt⁹ tractẽt, aut quid simile, q, ãte exitũ superiori non proposuerãt, poterũt his in casib⁹ prędictis satisfacere, hęc post reditũ Superiori fideliter renũtiaturi.

9 Cùm vi regulæ ad solitudinem specialiter astringamur, nihilq; sit magis oppositũ solitudini; atq; etiã honestati, & reformationi cõtrariũ, quã q, fratres in vrbib⁹ & oppidis quotidiè per plateas & loca publica vagẽtur, ideò districtè prohibem⁹ Priorib⁹, ne leui de causa res curiosas, superba ædificia, hortos amœnos lustrãdi & visitãdi facultatem

cōcędant ſub pœna graui; ſed ſolùm in cauſa neceſſitatis vt proximi iuuādi, aut iuſtis & legitimis negotijs incūbēdi.
10 Ordinamus quòd licèt Procurator, Confeſſarij, & Sacriſta pro diuerſis monaſterij neceſſitatibus ſæpius de licētia Superioris exire poſſint, alijs tamen fratrib' eiuſmodi exeundi licentia rariſſimè & non niſi honeſta de cauſa concedatur.
11 Diebus item Dominicis & feſtis egreſſum omnino non permittant Superiores, niſi ad conciones habēdas vel audiendas, excipiendas confeſſiones, & viſitādos ægrotos, aut alia tunc neceſſaria charitatis officia exercenda, tempore item Aduentus, Quadrageſimæ, & ſingulis ſextis ferijs ſatis rariores ſint egreſſus.
12 Item ordinamus, quòd nemo audeat habere cum ſæcularibus tantum commercium, quòd ex nimia familiaritate ipſi ſæculares ſecreta Cōuentus agnoſcant; ſiquis autem conuictus fuerit de ſecretis aliquid cuiquam ſæcularium reuelaſſe, vltra quod carceri eſt mancipandus, & grauiſſima pœna plectendus, anathema ei ſit Omnipotentis Dei; hoc intelligitur in re graui.
13 Si quando fratres curandæ valetudinis gratia ad ambulationem in campum extra monaſterium mittantur, caueantur diſſolutiones, manuum iniectiones, luctationes, & violenta quælibet exercitia ſub pœna graui: aliquo tamen moderato curſu aut corporis agitatione ſeſe exercere poterunt; in omnibus obediant ei, qui à Superiore toti recreationi præficietur; delinquentes pro modo culpæ puniantur.
14 Fratres ſic miſſi nullibi comedāt aut bibāt, niſi in graui neceſſitate, omneſq; ſaltem tempore ſecundæ menſæ ad Cōuentum redeāt ſub media pœna, niſi vltrà protrahēdi deābulationem, facultatē à Superiore antea obtinuerint.
15 Nullus fratrum diem indicet ſæcularibus, vt noſtros ruri in ſuis domibus excipiant, nec in quibuſcunque

ſæcularium domibus ſub quocunque prętextu cantet motetos ſeu cantilenas etiam pias, maximè cum mulieribus, aut in earum præſentia, nec vllas ab eis diſcat, aut eas edoceat, ſub pœna grauis culpę.

16 Noſtri inter ſe, (minuſue cum ſæcularibus) non ludant folijs luſorijs, multò minùs taxillis, ſub pœna grauioris culpæ: imò nec vllo etiam alio, licèt honeſto ludo cum mulieribus quantumcunque piæ ſint, aut conſanguineæ, ſub pœna media.

17 Nunquam in menſa cum ſæcularibus ipſorum more bibant par pari referendo per mutuas & frequentes propinationes, ſed tunc maximè ſint ſobrij, verbis potiùs quàm poculis gratias agentes propinantibus; in recitatione benedictionis menſæ & gratiarum actionis vniformes ſint omnes.

18 Iactantiã & nimias exaggerationes fugiãt; de aliorum Religioſorũ ordinib⁹ & religioſis cum reuerentia & laude omnes ſẽper loquãtur: & ſi quę ſiniſtra audierint de his, quantùm honeſtas patietur, eos excuſent, ſub pœna graui.

19 Qui ad deambulationem extra monaſterium modo ſupradicto fuerint miſſi, ad mare, fluuios, balneandi cauſa, non præſumant accedere, niſi ſpecialem licentiam ad hoc petierint & obtinuerint; qua obtenta nũquam totaliter ſe ſpolient ſub pœna graui.

20 Ad aquas minerales & balnea medicinalia, ſiue naturalia ſiue artificialia, aut ſtuffas quę fiunt extra Cõuentum nullus vadat abſq; ſpeciali licẽtia R. P. Prouincialis, nec vll⁹ infirmus per ſe petere audeat talẽ facultatem, ſed ſolus Prior de aſsẽſu Patrum à Conſilio; qui infirmitate cum medicis accuratè conſulta, ſi nullo alio modo remedium afferri poſſe teſtentur, pro tali fratre ſupplicabit.

21 Fratri balneis eiuſmodi indigenti & vtenti à Cõuentu ſuo vel alio modo, Prouinciali ordinante, ita prouideantur neceſſaria, vt mendicare non cogatur.

22 Item ordinamus, quòd nullus cuiuſcunque cōditionis exiſtat, audeat ſine expreſſa licentia & graui negotio adire monaſteria Monialium cuiuſcunque ordinis fuerint, aut cum Monialibus familiaritatem habere, niſi aliquis Pater ſenior eſſet deputatus confeſſor alicuius Monaſterij noſtræ Religionis, vel alterius in gratiam Reuerendiſſimi Ordinarij.

23 Nullus prętereà ingrediatur intra earum ſepta, niſi in caſibus neceſſitatis, & cum præſcriptis circunſtantijs, ſub pœnis & cenſuris expreſſis in Diplomatibus Summorum Pontificum: ſiquis autem fuerit deprehenſus quod familiaritatem habuerit cum eis, carceri mancipetur & acriter puniatur.

24 Item ordinamus quod domus quorumcunquę Conuentuum Ordinis quæ locari ſolent, locentur & locari debeant perſonis honeſtis ſub pœna grauioris culpę Priori & Patribus Clauarijs: fratres item caueant habere familiaritatem cum perſonis inhoneſtis & malæ famæ ſub eadem pœna.

25 Prohibemus item ne loca aut officinæ quælibet intra ſepta noſtrorum Conuentuum incluſæ, vlla de cauſa, ſęcularibus per modum locationis aut etiam commodationis concedantur, ſiue ſub prætextu cuiuſcunque ſocietatis vel Confraternitatis, ſub pœna depoſitionis Prælatis permittentibus, ſi autem aliquid in contrarium conceſſum fuerit, præſenti ſtatuto irritum decernimus.

26 Cùm arctiori Clauſuræ quam nobis regula cōmendat conforme ſit raro exire extra ſepta Monaſterij; ſtatuimus quòd fratres noſtri ad funera ſęcularium proceſſionaliter non eant, niſi quando eorum corpora ſepelientur in noſtris Eccleſijs aut cœmeterijs. Excipiuntur tamen perſonæ quæ vrbium & Ciuitatum ſunt Capita, vt Epiſcopus, Gubernator, primus Præſes, aut primus Magiſtratus; nec in hoc charitatis reſpuimus officium,

ciam & suffragia pro illis defunctis in Conuentu, de eorum obitu moniti, facimus; sed vitam regularem, quæ per tales processiones, vtpotè frequentissimas, grauiter læditur, sartam tectam custodimus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM

De Hospitibus & Itinerantibus.

1 CVM inter Charitatis officia quæ proximis exhibere debemus, maximè Hospitalitas cōmendetur, quibus hostijs (inquit Apostolus) promeretur Deus.

2 Statuimus quod Priores locales aut alij Superiores, fratres nostros itinerantes recipiant benignè & charitatiuè, & eis secundum necessitatem de omnibus prouideāt diligenter nullam paupertatem allegantes, vt fraterna charitas foueatur, sub pœna grauis culpæ.

3 Itinerando frater qui antiquior est in religione sit Prior in itinere, nisi per Superiorem aliter ordinetur, putà causa officij, scientiæ, honestatis, discretionis maioris; & cùm eundi aliquò licentiam habuerint, illuc tantummodò vadant quò licentiam obtinuerint accedendi, & tempore limitato celeriter reuertātur: qui secus fecerint nisi causa rationabilis aut euidens necessitas eos excuset, pœna Apostatarum secundum exigentiam delicti puniantur; qui ad viam peragendam fortiores sunt, infirmiores non præcedant sed subsequantur, & iter cuiusque diei debilium infirmitate commensuretur.

4 Meminerint regulæ nostræ cōmendātis frequēter mēdicare itinerātes, ac propterea vbi pedites fuerint, nō vereātur ad piorū Christi fideliū ędes diuertere, & de eorū Eleemosinis viuere: si verò fuerint equites ita se gerāt in hospitijs, vt semper Iesu Christi paupertatē prę se ferāt,

5 Fratres in ipſo itineris capite, itinerarium vt eſt in Breuiario vel in Ceremoniali dicant, & quotidiè manę per horam ſilentium teneant, internę recollectioni attentiùs vacaturi: Clerici ſimul diuinum officium pro opportunitate recitare ſtudeant; Item quotidiè miſſam facerę vel ſaltem audire, & non Sacerdotes conſuetis in monaſterio diebus ad ſacram ſinaxim accedere.

6 Si futurum ſit iter trium aut quatuor dierum, ante egreſſum è Conuentu, in debito loco preces ſolitæ præmittantur, & proſtratis fratribus benedictio detur à Prędidente, quod & fiat in reditu.

7 Hoſpitibus noſtri ordinis qui pedites venerint,& alijs quos Superior hoſpitalario indicauerit; curabit Prior per ſe vel per alium lauari pedes, recitando Pſalmum, miſerere,&,de profundis, cum orationibus tam pro viuis quam pro defunctis.

8 Vbi Hoſpites noſtri ordinis acceſſerint, Hoſpitalarius explorata eorum neceſſitate & labore curabit ſumptibus Conuentus, eorum internas veſtes permutari,mundari, &, ſi opus fuerit, reſarciri.

9 In menſa Hoſpitum ſic exactè volumus ſequentia obſeruari, vt initio comeſtionis lectio aliqua breuis de libello pio prę mittatur, & vltra horam refectio non protrahatur; vt non fiant mutuæ propinationes ſe poculis ſalutando; & nunquam famam proximi lædant, imò ſermo de rebus vtilibus inſtituatur. Cæterum hilariter & iucundè quantùm fieri poterit Hoſpites excipiantur in Domini ſpiritu.

10 Item fratres per obedientiam miſſi habeant litteras à Superioribus mittentibus teſtimoniales, quas obedientiam vocant, miſſionis & durationis earum tempus continentes; quas ſtatim à regreſſu reddant ſuo Superiori cum pecunia ex viatico reſidua ſub pœna graui: quòd ſi in alium Conuentum contendunt, donec prædi-

ctas litteras obediētiales exhibuerint, & pecuniam Priori vel procuratori domus aſſeruandam depoſuerint,non prouideatur illis de neceſſarijs. Et fratres Hoſpites reuelare teneantur Priori ad cuius Conuentum veniunt, cauſam & negotia pro quib⁹ venerint ſi per talem Prioré requiſiti fuerint,niſi mittātur pro negotijs aliquorū maiorū ordinis,qui ſunt Superiores Prioribus ad quos declinant.

11 Fratres inordinatè & ſine teſtimonialibus & obediétia incedentes, tanquam apoſtatæ capiantur & carceri mancipentur, donec Prouincialis aliter de illis ordinauerit, cui eorum captionem Prior capiens habeat celeriter intimare: Prior verò in captione & detentione talium negligens, pœna grauioris culpæ puniatur.

12 Cùm aliquis de cōuentu in Cóuentū mittitur non deferat duas veſtes aut tunicas ſub pœna graui: ſed diligenter aduertat Superior, vt qui à ſuo Conuentu recedunt, honeſtè ac religioſè veſtiantur, itéque pecunia pro viatico à Procuratore ſufficienter ſubminiſtretur.

13 In vrbibus aut locis vbi eſt Conuentus ordinis, fratres quicunque de nouo aduentantes non aliò diuertant, comedant, hoſpitentur, aut maneant: multò minùs pernoctent, niſi Conuentu anteà viſitato & licentia habita à Præſidente, quam licentiam Superior nulli concedet niſi ob defectum loci commodi ad hoſpitandum ſub pœna grauioris culpæ.

14 Item ſiquis habita licentia exeundi extra Ciuitatem, oppidum,aut villam, & in Ciuitate, oppido,ſeu villa maneat vnâ nocte extra Conuentum,niſi adſit neceſſitas vel cauſa rationabilis, quāprimùm Superiori aperienda, voce & loco eſt priuatus ipſo facto: ſi verò per duas noctes manſerit, carceri mancipetur: ſi verò per tres vel plures, ſecundum grauitatem & qualitatem offenſæ grauiùs puniatur.

15 Fratres Cóuentus non veniant ad Hoſpites fratres,

vel ad alios extra refectorium comedentes, absque licentia Prioris; sed per fratrem ministrantem intiment eis suum negotium sub pœna media: qui verò cum licentia Superioris ad eos accesserint dicto completorio statim recedant sub eadem pœna.

16 Fratres Eleemosinas collecturi quotannis, ad Conuentuum terminos procedentes, de die poterunt dissociari, ad suas quisque partes assumpto ductore. Nolumus autem eiusmodi quæstus seu terminos fieri, nisi vbi necessitas exigit, idque solùm semel aut bis in anno pro frumento, vino, butyro, vel oleo, & lana, nunquam autem pro alijs rebus colligendis: in Confraternitatum verò commẽdatione, summorum Pontificum decreta obseruentur, & inter quęstuandum nunquàm Equites procedant sub pœna graui.

17 Prædicti fratres etsi interdiù ab inuicem separari cogantur, teneantur singulis diebus serò ad eandem domum se recipere, & in eodẽ cubiculo dormire: qui absque necessitate huic Cõstitutioni cõtrauenerint, pœna grauioris culpæ toties puniãtur, quoties in hoc deliquerint.

18 Vniuersi fratres nostri pedites iter agant: si verò necessitas postulet, equitandi à Priore facultatem habeant, nec aliter equitare pręsumant sub pœna grauis culpæ per tot dies, quot equitare præsumpserint; Equi autem à Conuentu in quo Hospites recipiuntur competenter ali debent sub pœna graui.

19 Fratres equitantes cappam albam non deferant sed pallium nigrum cum pileo item nigro.

20 Ordinamus item quòd Equi non nutriantur in Cõuentibus nisi propter necessitatem Prouinciali cognitam, & ab ipso approbatam, sub pœna graui per quinque dies Prioribus infligenda.

21 Priores Prouinciales, eorum socij, & cæteri visitatores, qui propter infirmitatem aut aliam iustam

causam pedites iter agere nequeũt,possunt equos habere, quos tamen non retinebũt nisi quãdiu ad peragẽdas visitationes his eguerint sub pœna priuationis vocis & loci.

22 Priores locales non nisi ex magna & vrgenti necessitate quemquam solum mittere audeant nisi laicos: multò minùs ipsi eant soli sub pœna depositionis ab officio: prædicta autem necessitas per patres à Consilio examinabitur, nec vnquam poterit Prior aut ire solus, aut fratres solos mittere, nisi de prædictorum Patrum consilio, aut ex Superiorum mandato,& tunc non nisi cum famulo comite.

23 Non liceat Hospitibus nec alijs fratribus nisi de licentia præsidẽtis in Cõuentu,exire septa loci, sub pœna Apostatarum, nec aliquid emant aut mutuò accipiãt nisi per Priorẽ aut Cõuent⁹ Procuratorem, vel de eorum scitu & assensu, sub pœna proprietariorum.

24 Sæculares non diù morentur inter fratres præter seruientes, ne aliqua leui occasione fama ordinis atque fratrum forsan indè minuatur sub pœna grauis culpæ retinentibus infligenda; poterit tamen Prior generalis vel Prouincialis dispensare super his, cum eis videbitur expedire.

25 Item tam Priores quàm alij fratres ad Conuentus propriæ vel alterius Prouinciæ venientes, si in eis vel in eorum terminis deliquerint, Priores locales eos corrigendi secundum ordinis statuta liberam habeant facultatem.

26 De mandato Clementis 8. nullus potest Romam accedere sine licentia Reuerend. Patris ordinis, vel Eminentissimi Dñi Protectoris, vel etiam Prouincialis ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat; sub pœna priuationis vtriusque vocis ad biennium, moderanda vel relaxanda solum à sanctissimo Papa.

27 Declaram⁹ quod dictã priuationis pœnã nõ euadent

illi qui ſine debita licētia preſumpſerint ad portas vrbis accedere, etiamſi poſteà obtēta à Superiore venia fuerint ingreſſi,niſi ſufficienter oſtenderint ſe vrgenti neceſſitate non patiēte dilationem compulſos à Prouincia receſſiſſe antequàm poſſēt ad Reuerend. generalem pro facultate obtinenda recurrere:quæ pœna aduerſus eos qui ſupradictos admiſerint & receperint ſine vlla exceptione locum habeat: ad ſeruãdum religionis decorem in litteris dimiſſorijs eorũ qui Romám ſine dicta licētia veniũt, nulla eſt apponēda pœna,ſed in litteris familiaribus (quarũ in dimiſſorijs mentio fieri debet) ſignificanda ſuo Prouinciali , cui ſi ipſi malitiosè ſuas litteras familiares non cõſignauerint , nihilominùs ſciat Prouincialis pœnam priuationis vocis per biennium illis fuiſſe inflictam, quos inſuper carceri mancipabit & iuxta delicta puniet ; verùm ſi in obediētijs nulla facta fuerit mentio litterarum familiarium , certò noſcat Prouincialis pœnam illis vel non fuiſſe impoſitam, vel fuiſſe relaxatam.

28 Similiter cum ex nimio & inordinato fratrum diſcurſu diſpendia & perturbationes, ac diſtractiones innumeræ oriantur, regulariſque obſeruãtia plurimùm relaxetur: ad eiuſmodi diſcurſus vagos & inutiles cõpeſcendos, declaramus & ordinamus, quòd Priores aut Vicarij fratres ſuos vltra terminos ſuorũ Cõuentuum mittere,ſeu licētiare non audeant ſine venia Prouincialis niſi cauſa grauis infirmitatis ipſorum vel ſuorũ parētum, vel etiam euitandi graue ſcãdalum Ordinis,vel propter euidentem neceſſitatem, vel Cõuentuum vtilitatem, & tunc ex Patrum diſcretorum conſilio , talis licentia concedatur : qui verò ad Prouincialem abſque eius licentia ſpontè acceſſerint, per ſex menſes priuati voce & loco remaneant, vocem & locum non habētibus per viginti dies grauior pœna infligatur. Priores etiam & Vicarij citra vrgentem neceſſitatem, & ſine conſilio diſcretorum illos mittentes

puniantur ad arbitrium Prouincialis.
29 Nullus frater audeat ire ad faciendam querimoniam Priori generali, nisi propter notabilem defectum & inemēdatum Prioris prouincialis; nec Prouinciali nisi propter defectum Prioris localis sub pœna grauis culpæ per viginti dies.
30 Malefactoribus & sceleratis ad domos nostras confugientibus metu pœnæ nullo modo aditus patefiat, & si fortè ob aliquam causam introducendi essent, Prior assignabit eis locum à fratribus totaliter separatum : nec frater aliquis loquatur vel comedat seu bibat cum eis sub pœna carceris : nec vltra dies tres, vllo pacto possint manere in Conuentu sub pœna priuationis ab officio ipsi Priori infligenda.
31 Vbi fratres ad Conuentum redierint ex itinere, teneantur quamprimùm adire Superiorem, & de gestis in itinere eum facere certiorem, sub pœna grauis culpæ.
32 Fratres hospites in quocunque Cōuentu fuerint post primā diem sequātur refectorium & Chorum, & teneātur missas dicere, nisi eos negotia & labor excusent.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

DE VESTIMENTIS FRATRVM & Calceamentis.

1 VESTIMENTA fratrum lanea sint ex viliori panno & grossiori, eiusdē formæ, vt habeant tunicas amplas griseas, natiui coloris, ad nigredinem tendētes, rotūdas, vsq; ad talos dūtaxat & non vltra descēdentes, habeantq; ipsas satis latas, clausas fibula ęrea aut ferrea, non nucleatas, nec apertas à parte anteriori, ampliùs vno palmo cum

dimidio, & ſine filis de ſerico aut coloratis: manicæ autem ad pugnum protẽdantur ſatis latæ duorum palmorum in ambitu.

2 Habeant item ſcapularia breuiora tunica, quatuor digitis per tranſuerſum, eiuſdem coloris cum ea, ſine filis de ſerico aut alterius coloris à panno, iuxta vniuſcuiuſque craſſitiem lata, à iunctura ſcilicet ad iuncturam brachiorum protenſa, nec ſtrictiora, nec latiora.

3 Caputiorum aperturę ſint ſatis latæ & rotũdæ, quorum latitudo capiat ſcapulas paulò infra ſuturam manicarum ſuperioris tunicæ ad iuncturam vſque brachiorum deſcendendo, verſus pectus ſex aut ſeptem pollices protendantur ſecundum maiorem aut minorem ſtaturam fratrum, à parte poſteriori in occipitio non ſint a uminata, deſinant verò in caudam pyramidalem & deſcendant infra zonam circa renes.

4 Semper ſint accincti ſuper tunicam zonis de corio nigro ad latitudinem duorum digitorum per tranſuerſum & non artificiali colore pictis, non munitis auro aut argento, ſed annulo oſſeo aut fibula ærea vel ferrea, deferantque ſinguli ſuſpenſam coronam mediocris pretij, cum cruce ſimiliter non artificioſa nimis aut fabrefacta.

5 Item ſub veſte ſeu prima tunica ſint albę tunicæ interiores è viliori panno, rotundæ, apertæ in pectore, quæ propter infirmitatem debilium poterunt concedi ita clauſæ, vt corpori per modum quaſi thoracis adhæreant cum apertura competenti, vt poſſint ſe fratres aptè diſponere ad diſciplinas recipiendum cum oportuerit humiliter & patienter: prædictæ tunicæ vſque ad mediam tybiam deſcendent, nulloſque in manicis habebunt nucleos, nulluſque frater portet veſtes aut tunicas de alio panno lana vel colore, quàm vt dictum eſt, ſub pœna priuationis vocis & loci.

6 Omnino nostris inhibem⁹ ne vtãtur camiſeis lincis niſi de expreſſa Superioris licentia dum ægrotant aut aliquo alio linco indumẽto aut caligis aut alijs veſtimentis conſutis more ſæcularium ſub pœna priuationis vocis & loci: ſed habeant ſinguli ſaltem duas tunicellas albas interiores è tenuiori panno infra genua deſinentes: infirmis autem conceduntur foderaturæ veſtes & pelliceæ pro neceſſitate Superiori approbata.

7 Pręcipim⁹ item vt fratres vniuerſi fœmoralia ſeu ſubligacula ex rudiori lino contexta vltra genua deſinentia ſemper & vbique geſtent, ſudariola item portãbunt linea.

8 Bireta ſolummodò lanea, rotunda, eiuſdem coloris cum caputio, aut ſaltem nigra, fratres deferent.

9 Quilibet frater habeat Cappam albam, conſutam à parte anteriori quatuor digitis à fibula, ſatis amplam, & ſinuoſam, talis longitudinis, vt ad mediam vſque tybiam deſcendat; habeat caputium album eiuſdem formæ & magnitudinis cum griſeo.

10 Cappæ fratrum non ſint fulgentes, nec de panno tenuiori, & magni pretij, ſed de vili & groſſiori, albo tamen, leuis ponderis, quantũm fieri poterit, curentque vt in omnibus eiuſdem Prouinciæ & obſeruantiæ Conuentibus ſint cappæ eiuſdem formæ & eiuſdem panni, & qui de alio panno, quàm quo vtitur maior pars Conuentuum, & religioſorum, Cappam ſibi procurauerit, ſpolietur illa, & graui pœna puniatur; cui rei habebit inuigilare R. P. Prouincialis in ſuis viſitationibus, vt exacta ſeruetur vniformitas in colore, panno, & figura, tùm griſearum, tùm albarum veſtium.

11 Fratres noſtri vtãtur calceis nigris & ligatitijs, non oculatis, nec pontatis, aut curioſè compoſitis, ſub pœna grauis culpæ, ſed de corio tantum bouino, aut vitulino; item tibialibus albi coloris, quę per hyemem la-

nea, & æstate linea esse poterunt: crepidarum verò vsus intra monasterium tantùm permittitur.

12 Chirothecas nemo audeat deferre per Conuentum, vel Ciuitatem, multò minùs in Choro, vel Ecclesia: de licentia tamen Prioris in necessitate laneæ itinerantibus permitti poterunt.

13 In omnibus Conuentibus sint ordinatæ tonstrinæ, & nullo modo fratres ad tonstrinas extra Conuentum accedant; curabitque Prior sub graui pœna, vt circiter de quindena in quindenam omnium fratrum, nullo prorsus excepto, barbæ radantur, similiterque coronæ æquali figura; duobus saltem in transuersum digitis supra aurem, vel nouaculâ vel forficibus ad cutem vsque vniuersæ & æqualiter fiant, nullusque laïcus vel conuersus possit portare Coronam sub pœna carceris, & huic decreto inobedientes fratres clerici non possint eligi, neque eligere, neque intersint Electionib⁹, aut actis legitimis quibuscũque.

14 Nulli liceat extra valetudinarium alio vllo induméti genere vestiri, cuius vsus notabilem ab alijs dissimilitudinem inducat sub pœna media.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

DE EXAMINE AD ORDInem nostrum admitti postulantium.

1 Pridem nos tùm maiorum documenta, cùm experientia docuerunt, disciplinæ regularis relaxationem ex tribus potissimum capitibus oriri; videlicet ex nimia in recipiendis Nouitijs facilitate, aut in expellen-

dis

ctis difficultate, ex negligentia in probando eorum spiritu, an verè sit à Deo; denique ex incuria in eis sanctè educandis atque instituendis: vnde patet quam sit necessarium huic receptioni, probationi, & institutioni inuigilare.

2. Quare ante receptionem prudenter explicetur postulantibus, qui sit primarius instituti nostri finis, qui mores, ac constitutiones obseruandæ: & antequam proponãtur in Capitulo recipiendi, examinentur à duobus vel tribus Patribus zelum Dei & progressus ordinis habentibus à Priore nominandis cum Subpriore & Magistro Nouitiorum, nisi prius aliquos elegisset Prouincialis, & ante habitus sumptionem accuratè moneantur de obligatione tẽdendi ad perfectionem in Religione quam ingredi exoptant.

3 Examinabuntur itaque, an reipsa, vel saltem promissione, matrimonio sint illigati, si ex illegitimo matrimonio procreati, si de hęresi aut schismate suspecti, si ab aliquo nostro Conuentu tempore Nouiciatus propter aliquem defectum eiecti, & si in alia Religione, imò etiam in Congregatione nostrorum discalceatorum professi; quod si aliquod ex prędictis impedimentis patiantur, ipsis in scriptis significetur professionem nullo modo emittendam & emissam inualidam fore: mens enim & intentio Religionis est eos non admittere; & vltra quòd professio erit nulla, Superior, qui eiusmodi scienter receperit, ab officio deponendus erit, & grauiori pœna per decem dies plectendus. Aduertendũ est insuper professos in aliena Religione, nostros discalceatos quoque includendo, etiam si literas obtinuerint à sanctissimo Domino Papa, simpliciter tantum concedentes transitum, non posse ad ordinem nostrum recipi, nisi in Capitulo Generali. Inquirendi sunt etiam maiores sexdecim annis, an sint aliquorum criminum rei, vel suspecti, &

propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, aut ære alieno supra vires eorum facultatum grauati, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxij, vt huiusmodi causa, lis, vel molestia eis sit illata, vel extet dubium, ne inferatur, & Superiores, qui habenté ex istis aliquod impedimentum receperint, voce actiua & passiua priuati erunt, aliasque incurrent pœnas à Xysto 5. impositas.

4 Demum venientes ad nos vt recipiantur, interrogentur, an ex solo motiuo suæ salutis, & è laqueis mũdi euadendi, nostri instituti capessendi amore ducantur; & quæ eos ratio magis impellat, nostrum potius, quam hoc aut illud amplectendi institutum: diligenti autem examine, ingenium, studia, indoles, mores, exquirenda sunt, si plus æquo melancholici, duplices animo, mendaces, scrupulosi fuerint reperti, nullo modo recipiantur, quacumque scientia & industria polleant.

5 Ad habitum nostrum admitti nolumus cæcos, coclites, luscos, gibbosos, fœtentes naribus, lunaticos, asmate, phtysi, comitiali & caduco morbo, aut alio contagioso laborantes, vel corpore enormiter deformes, nec alios quoscumque sufferendis vitæ regularis laboribus impares.

6 Recipiendus moneatur renuntiare omni iuri repetendi vestimenta facta pro sua receptione secundum vsum ordinis, etiamsi, vt par est, de proprijs bonis sibi ea comparasset, casu quo ab ordine resiliret, vel expelleretur.

7 Statuimus item quod nullus cuiuscumque conditionis existat, recipiat aliquod donum à Nouitio, pro eo recipiendo, vel ab eius amicis, sub pœna carceris, & ceteris simoniacorum.

8 Quod si Conuentus sit ita pauper, vt de vestimentis & lectisternijs ei sufficienter prouideri non possit, hæc ab eo peti poterunt, qui commodè dare poterit:

quod ſi ipſe aut parentes eius Eleemoſinam aliquam fecerint, ſtatim in commune conferatur.

9 Nulli recipiantur Nouitij, niſi in monaſterijs pro nouitiatu deſignatis: qui autem in alijs conuentibus ad habitum admiſſi fuerint, vbi modo ſupradicto fuerint examinati, ad Nouitiatum induendi mittantur, ſcribaturque ad Monaſterium de induendorum qualitate.

10 Maiores ſexdecim annis non aliter ad Religionem admittātur, niſi iuxta Cōſtitutiones Sixti V. & Gregorij XIIII. ſub pœnis in eiſdem cōſtitutionibus contētis.

11 Prouideant Superiores, vt omnes Nouitij etiam Conuerſi recipiendi, priuſquàm habitum induant, ſufficienter inſtruantur de regula, & tribus votis eſſentialibus, & ſpecialibus Conſtitutionibus Ordinis; & ob id intra Conuentum aliquot diebus maneant, & regularibus actibus interſint, antequàm induantur.

12 Quibus in ſæculo vtebantur iudumentis in libro ad hoc deſtinato cum eorum nominibus, patrijs, & parentibus ſcribatur, & omnia in loco bene clauſo ad profeſſionem vſque ſeruentur,

13 Siquis Nouitius ex aliquo noſtro Conuentu, vbi annum probationis agebat, fuerit eiectus, in nullo alio noſtri Ordinis Conuentu recipiatur, niſi ceſſauerit cauſa expulſionis, ſub pœna priuationis officiorum recipientibus infligenda; vltra quod profeſſio erit nulla, vt dictum eſt §. 3.

14 Nullus recipiatur in Clericum, niſi ſaltem congruè loqui latinè ſciat, aut fortè præſtantis ingenij vel alia iuſta cauſa diſpenſationem admitteret à Prouinciali habendam.

15 Item nemo, niſi graui de cauſa, & per diſpenſationem Prouincialis, recipiatur ante decimum quintum annum, & poſt trigeſimum quintum.

16 Prohibem⁹ Priorib⁹ Prouincialibus & localibus ſub

pœna depositionis ab officijs eorum, prętet nullitatē &c. ne recipiant, vt dictum est, illegitimos, nec iam incautè receptos ad professionem admittant, si tamen contingeret grauissimas ob causas aliquem eiusmodi indui, id non nisi à Reuerendissimo Generali, vel Prouinciali fiat, habitis priuatim Regijs litteris legitimationis maximè in Regno Galliæ, quarum copia & transumptum in capitulo Conuentuali omnibus gremialibus innotescat, sub eisdem pœnis.

17 Item non recipiantur apud nos, etiam in laïcos, qui fuerint famuli à pedibus heri sui coloribus insigniti, aut stabularij, aut histriones, alteriusque vilioris, & minus honestæ conditionis, propter periculum, ob malos vsus inueteratos, & vix sanabiles contractos; & propter religionis honorem: si tamen constaret aliquos eiusmodi honestis moribus imbutos sexennium in arte quadam honesta, , licet mecanica, vt Sartoris, Sutoris, se exercuisse, eamque benè callerent, ex speciali licentia Reuerendissimi Patris Generalis aut Prouincialis admitti poterunt.

18 Extra Capitulū generale, vel Prouinciale, de licētia tamē Prouincialis vel Generalis, à tribus, vel quatuor vocalib⁹ fiat diligēs inquisitio, & sumatur accurata informatio recipiendorū maiorū sexdecim annorū, iuxta pręfatas constitutiones Sixti V. & Gregorij XIIII.

19 Poterunt etiam Priores locales de licentia Prioris Generalis, vel Prouincialis, ad habitum, & professionem admittere aliquem, sed non nisi de consensu maioris & sanioris partis Conuentus, per secreta suffragia percepto, sub pœna grauis culpæ per decem dies, & depositionis ab officijs: vltra quòd tàm receptio, quàm professio erit nulla.

20 Priores in consortium fratrum sæculares nunquam admittant, pensionarios, vel portionistas raró, nisi

Reuerendiſſimi P. Generalis vel Prouincialis accedente conſenſu: poterit tamen in ſingulis Conuentibus recipi vnus, aut alter famulus, obtenta à R. P. Prouinciali facultate, ſed non antè vigeſimum annum; & eiuſmodi, ſi poſtulauerint, & modeſti, robuſti, ac fideles fuerint, in ordine poſt biennium admitti poterunt ſub nomine oblatorum, ita vt ſæculari more honeſto veſtiti, per ſimplicia vota obedientiæ & paupertatis ſe ordini deuoueant, qui ordo in perſona ſuperioris de aſſenſu Conuentus publico inſtrumento ſeu authentico, illis tàm ſanis, quàm ęgris, victum & veſtitum ad vltimum vitæ promittat ſe daturum.

21 Iuuenes ſeu pueri nunquam in Conuentibus morentur, niſi vbi neceſſitas coget pro miniſtrandis miſſis, idque perrarò, & non niſi ex ſpeciali licentia Prouincialis.

DE DONATIS.

22 Donati, ſeu oblati, ſimplici voto paupertatis & Obedientiæ obligati, à noſtris poſteà Conuentibus exire non poſſint, nec aliquò ire, multò minùs recedere abſque ſcripta licentia Prælati, ſeu Superioris; quòd ſi fugerint, capi poterunt, & pro modo culpæ puniri.

23 Si contra votum emiſſum mortaliter peccauerint, ſi in peccatum carnis opere completum lapſi fuerint, ſi Ebrietati dediti, ſi litteras, vel nuntia, ſine Prælati venia, à fratribus ad Tabellarios, aut alios ſeculares, vel è contrario tulerint, ſi moniti à commercio & familiaritate cum perſonis inhoneſtis & malæ exiſtimationis ſe non abſtinuerint, ſi fideles, ſecreta monaſterij ſæcularibus tacendo, in re graui non fuerint; aut

aliquid aliud eiusmodi commiserint, propter quod iudicio Prouincialis & Definitorum expelli ab ordine deberent, subitò expellantur: definitores tamen, ob culpas prędictas, aut alias, non eos eijcient nisi pręcesserint duæ aut tres monitiones, & fuerint correcti.

24 De definitorij consensu, qui ex donatis petierint, liberi abire poterunt: ita vt nec dimissi, nec expulsi voto simplici, quod emiserant, amplius obligentur.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM

DE ORDINE DOMVS NOVItiatus & probatione Nouitiorum.

1 OMNINO Conuentuum nostrorum structura, dispositioque aptetur, vt Nouitiatus, propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degũt professi, segregatus sit, atq; distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij; in quo etiam sint cellulæ, pro Magistro Nouitiorum, eiusque socio determinatæ: & habeat Capitulum Prouinciale Conuentum aut Conuentus ad hoc aptos designare.

2 Ibidem Oratorium seu capella disponatur, ad Nouitios, pręsertim in cęremonijs, Ecclesiasticisq; functionibus exercendos, ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, instructionesq; Magistri audiendas, cum aula communi, in quam hyemis tempore, ad calefaciendum se igne communi, sese recipiant.

3 Infirmitorium ipsis speciale etiam assignetur curandis ægrotantibus segregatum, ad quod, per dispo-

tionem Prioris à Magistro Nouitiorum de qualitate morbi & personæ Nouitiorum moniti, mittentur; quibus Magister aliquem ex fratribus Nouitiatus designabit infirmarium, & Prior de remedijs necessarijs iuxta ordinationem medicorum illis prouideat.

4 Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus atque munitus adsit: vbi verò peculiaris & distinctus hortulus haberi non poterit, curabit Prior Nouitijs aliquam horti portionem assignare, in qua soli ex more conueniant, de rebus diuinis colloquuturi, vel sub silentio liberiorem aërem spiraturi: ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem vel alterius ordinis regulari, etiam Conuentus & Monasterij officiali, vllo vnquam tempore, sub quouis prætextu, aditus pateat, præterquam Magistro, eiusque socio, ac etiam Monasterij aut Conuentus Superiori, si quandocunque ingrediendum sibi necessario existimauerit, quo tamen casu, aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij patribus socium assumat. Huius loci clausuræ clauis semper apud Magistrum asseruetur, illique liceat ex graui tantùm causa ingressum illuc alicui permittere: siquis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro pręsente, & non aliter alloquatur.

5 Ad matutinas excitatio, oratio mentalis, horæ comestionis regulariter fient, vt pręscribitur suprà, capite de vita communi.

6 A dictâ primâ fratres Nouitiatus labori manuum, lignis portandis, colendis hortis, dormitorijs mundandis, ad octauam vsque, operam nauabunt: ab octaua ad nonam se in Cellas recipient, internæ recollectioni impensiùs vacaturi, vsque ad maiorem missam.

7 Statim à prandio Nouitij omnes non occupati officijs per horam animi recreandi causa deambulabunt

aut ad ignem accedent, Magiſtro vel ſocio ſemper præeunte,& ſilentij,vel loquutionis modũ regulante, qua finita,in aliquo labore, vel in ceremonijs perdiſcendis exercebũtur per horam, aut mediam , vt ſecundâ pomeridianâ omnes ſe ad cellam recipiant , vſque ad veſperarum tempus , in pijs exercitijs occupandi.
8 Quando in Choro officium paruum Beatæ Mariæ Virginis non dicetur , volumus à Nouitijs deuotè & ſimul in Oratorio , tempore à Magiſtro ſibi conſtituto, recitari.
9 In Conuentu Nouitiatus is inſtituatur Prior qui fuerit aliàs Nouitiorum Magiſter, aut ſaltem qui ſit in vita ſpirituali , & animarum cura exercitatus; & expertus, vt interdum in communi exhortetur Nouitios, & aliquando, vt dictum eſt, viſitet, & conſoletur.
10 Nullas dabit Magiſter Nouitijs mortificationes quę publicè coram ſæcularibus fiant , niſi de conſenſu Prioris; cęterum domi, in refectorio, & alijs locis ,habet plenam eos probandi & exercendi facultatem.
11 In Conuentibus , vbi eſt Nouitiatus, ſtudiorum actus non exerceantur , ijque religioſi ibi degant , qui bono exemplo Nouitijs præluceant.
12 Nemini etiã Sacerdoti liceat cõuerſari, colloqui, aut familiariter agere cũ Nouitijs;itẽ nec eos redarguere,aut grauiꝰ obiurgare, ijs exceptis,qui ad id muneris deputãtur, ſub pœna graui : defectus autem, quos in Nouitijs alij deprehenderint, Priori aut Magiſtro aperiant.
13 In omnibus pietatis officijs aliquandiù exerceantur , non tamen in his , in quibus ob puſillanimitatem ſcandalum pati poſſent, vt in officio hoſpitalarij, diſpenſatoris, infirmarij communis, quæ munera non exercebunt , nec alia officia conſimilia.
14 Exercitationibus etiam corporalibus vacẽt ,modeſtamque animi recreationem interponant, quæ in ſolita-

rio loco & cõmodo bis aut ter in mense, prout Magister expedire iudicauerit, statuatur intra Monasterium, fiatque Magistro semper præsente, vel eius socio diligenter in omnibus inuigilante, atque eo tempore cuiusque in quam natura feratur propensionem scrutentur: poterunt etiam interdum extra vrbem mitti, vt liberiore puri aëris copia fruantur.

15 Prohibemus ne Nouitij exerceant officia, quæ commune aliquid cum secularibus habeãt, putà Ianitoris, aut sacristæ, nec in grauissima necessitate, nec de expressa licentia Prioris Prouincialis, nec dentur in socios Patribus per vrbem vel rus profecturis, sub pœna graui, mittenti infligenda; sed sit competens professorum numerus, ad huiusmodi actus exercendos.

16 Ter in anno Nouitij proponantur Capitulo, sexto scilicet mense, nono item, & duodecimo, vbi gremiales quid sibi de singulis videatur exponant, Magistro etiam referente quid sentiat: nulla tamen ibi suffragia decisiua ferẽt, nisi vltima vice, scilicet expleto anno, pro eorum admissione prout docetur 3. parte, cap. 35. §. 13.

17 Nullus ante decimum sextum expletum annum ad professionem suscipiatur, si clericus; ante vigesimum autem primum, si laïcus; sub graui pœna, præter nullitatem professionis.

18 Probationis tempus, postquàm induti fuerint Nouitij, per annum integrum excurrit, computando à Kalendis, vel idibus, siue nonis, & non à festis mobilibus, ita quod Prælati, eos ante tempus professantes, ipso facto essent suspensi de iure ab actu alios professandi; quod si non habita dispensatione alium professarent, ipso facto essent sententia iuris excommunicati, & ab officijs absoluendi, quamuis sufficientem ętatem haberent professuri, & nihilominus professio esset nulla.

19 Vbi quis fuerit expellendus ob defectum quì sine

infamiæ nota capitulo proponi non poteſt, Prior vnà cum Magiſtro, & eius ſocio, non expreſſo Nouitij nomine, ad Prouincialem ſcribent, ac de eius conſenſu Nouitius expelletur.

20 Ordinamus item, quod, ſi propter humanos fauores, & mundanũ timorem, Prior localis, Magiſter, & ſocius viderent inclinare gremiales ad profeſſandum aliquem, qui non eſſet religioni noſtræ idoneus, ſcribant ad Prouincialem & de eius iuſſu poſteà procedent in expellendo, vel admittendo.

21 In pręfatis autem examinibus diligenter conſiderent naturam, ingenium, & mores cuiuſlibet Nouitij, & ſi aliquos reperiant habere aliquid ex ſupra notatis impedimentis, vel ex ſequentibus, putà ſi eos viderent ſtupidos, vel nimiùm puſillanimes, ſcrupuloſos, & anxios: vel è contrario ſi audaces nimiùm, temerarios, turbulentos, amaros, inconſtantes nimiùm, in ſuo propoſito tenaces: ſi iræ, gulæ, inuidiæ, aut alicui vitio turpi à natura aut conſuetudine inueterata omninò deditos; ſi melancholia aut micrania grauiter laborantes: ſi mendaces, inobedientes, rebelles; ſi vitæ regularis, auſteritatum, mortificationum, & propriæ perfectionis notabiliter negligentes, aut non amatores reperiantur, non recipiantur.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM

De Nouitiorum Inſtitutione.

1 CVM ex Patrum ſentẽtia ſuſceptio habitus ſeu religionis ingreſſus per profeſſionem ſit renouati baptiſmatis imago: æquũ ſanè eſt, vt per annũ probationis, nr̃i Carmelitæ Nouitij, velut olim in Eccleſia

catechumeni, maneant auſcultates Dei verbum, & ſedulò religionis diſciplinam addiſcentes.

2 Doceat ergo eos primò Magiſter Nouitiorum anteactæ in ſæculo vitæ pœnitentiam, diuinæ, qua dignatus eſt eos Deus, vocationis præſtantiam, quæ vera ſit atque perfecta votorum ſolemnium obſeruatio, quàm neceſſaria ſit regulæ & Cõſtitutionum obſeruantia, quidnam potiſſimum in Sacro noſtri Ordinis inſtituto amplectendum, quam vitam vixerint Sancti inter Carmelitas inſigniores: & quia vt plurimùm Nouitij ſunt valde rudes in his quæ ſpectant ad doctrinam Chriſtianam, illis eam explicabit, quantùm pro illorum captu ſufficiet.

3 Cùm regulæ noſtrę præcipuus finis ſit Deo vacare, & in lege Domini meditari, aſſuefiant Nouitij ſolitudini & ſilentio, nec impendant nimium temporis in corporali exercitatione quæ ad modicum vtilis eſt, ſed ſaltem manè per horam integram, & à prandio per duas cellam ſeruent, & ibi ſpiritualium librorum lectioni vacent, pręcipuè vitæ ſanctorum Ordinis noſtri meditationi & imitationi.

4 Toto Nouitiatus tempore, nec humanioribus litteris, aut cuicunque ſpeculatiuæ ſcientiæ, nec philoſophiæ aut Theologiæ Scholaſticæ ſtudio vllo modo deputentur, aut vacent: ſed ſolum exercitationi virtutum, & ſpiritualium librorum lectioni, & meditationi, ſecundum Magiſtri Nouitiorum directionem.

5 Omnibus actibus, quibus adſunt Nouitij, aderit vt plurimùm Magiſter Nouitiorum, aut eius ſocius; & non niſi de eorũ ſcitu & aſſẽſu de Nouitijs vllus officiarius, vt Sacriſta, aut alius diſponet; ſed illorum erit determinare, quinam ſacro miniſtrare, & alijs officijs inſeruire debeant, & in his cum Superiore conuenire.

6 Nullus Nouitius alloquatur ſęculares, niſi pręſente

Magiſtro, aut ſocio, vel alio ex profeſſis deputato.

7 Item ipſi Nouitij inuicem non colloquantur, niſi præſente Magiſtro, vel ſocio: tempore etiam recreationis ordinariæ ſilentium ſeruabunt: per modum tamen collationis ſpiritualis, profeſſos cum ipſis conuerſantes interrogare de rebus pijs, & ab eis interrogati reſpondere poterunt.

8. Præter ſocium (ſi opus ſit) magiſter habere poterit fratrem aliquem ex antiquioribus, in virtute probatum, & prudentem, qui ſignificet vnicuique Nouitiorum exteriora exercitia, in quibus occupandus ſit, & manuducat eos ad ea, quæ facienda ſunt.

9 Quoad ſpiritualem Nouitiorum inſtitutionem in ſpiritualibus, quoad modum orandi, meditandi, cum Deo interiùs conuerſandi, Magiſter Nouitiorum ſeruabit ordinem, qui in ſpeciali directorio & inſtructione ei præſcribitur à Generali approbato.

10 Conuerſis, ſeu laïcis, à Clericorum dormitorio, quantum commodè fieri poterit, ad dormiendum ſeparatus locus aſſignetur: hac tamen ſeparatione non obſtante, illorum curam habebit Magiſter Nouitiorum, nec ſolum in corporalibus eos exercebit, ſed & in ſpiritualibus inſtruet: quarè ad Capitula, & ſpirituales exercitationes, quæ Nouitijs fieri ſolent, debent accerſiri,

11 Item curabit, vt omnes Nouitij clerici diſcant cæremonias, & cõmunia officia lectoris, Accolithi, ceroferarij, &c. rubricas item Breuiarij, vt cum fuerint profeſſi, Breuiarium ſoli recitare poſſint: in cantu etiam, quantum fieri poterit, conſiderata cuiuſque ad id naturali aptitudine, diligenter exercebuntur.

12 Nullus Nouitiꝰ ante profeſſionem ad ſacros ordines promoueatur: & Prior promouens grauiter puniatur.

13 Itẽ Nouitij nõ interſint Secretis Capituli, ſed vbi dixerint culpas ſuas ante profeſſos etiam laïcos exibunt.

14 Nouitij per tres distinctas vices, scilicet mense decimo, vndecimo, & duodecimo, professionis emissionem in Capitulo coram toto Conuentu in Cappis albis postulabunt humiliter, quibus tunc clarè & distinctè proponent Priores religionis onera, & quænam sub mortali, quęnam sub peccato veniali, & quę sub pœna temporali seruanda sunt.

15 Licet annus probationis in exercitationibus virtutum totus excurrat; admissi tamen ad emittendam professioné, postquam reb' suis, siquas in sęculo habeant, prouiderint, ad spirituale connubium, per solemnes trium votorum ritus incundum, decem dierum exercitijs præparentur, ab alijs separati, si Magistro videbitur.

16 Cum professionis dies aduenerit, conuocatis omnibus fratribus, trina pulsatione campanæ capitularis, in Sacristiam, aut oratorium, seu Capitulum, inquiret adhuc Prior, an aliquid esset, quod professandum impediret ad professionem, & accepto responso Professandus vocetur, à quo coram toto conuentu Pręsidés petat, num intendat facere professionem in nostro sacro ordine, cum obligatione seruandi tria vota, secundum strictam obseruantiam, quam ipse vidit in Nouiciatu seruari, & edoctus fuit toto probationis tempore: quo affirmatiuè respondente, statim, vel in eodem loco, vel ad altare maius Ecclesiæ, solénem suam emittat professionem, sub proprio nomine Prioris Generalis vniuersi ordinis, siue præsentis, siuè absentis; ita quòd qui alio modo profiteretur, excommunicationem latæ sententiæ incurreret, iuxta indultum Clementis 7. & Gregorij 13. & ad professionem admittens inhabilis ad Prioris officium redderetur.

17 Superiores Conuentuum Nouitios in legitima ætate constitutos, completo probationis anno, ad votú professionis incunctanter admittant, si habiles inuenerint: qui autem in Capitulo Cóuentuali à gremialibus fuerint

recuſati, & minimè acceptati, illicò & indilatè exuantur, ac dimittantur.

18 Ordinam⁹ itẽ, quod in Cõuẽtibus Nouitiat⁹ habeantur duo libri, quorum in vno, qui dicitur regiſtrũ Nouitiatus, deſcribantur nomina ſęculi, & quæ impoſita in receptione habitus, parentum, ętates receptorum, cum die ſuæ receptionis: nomina item loci, & patriæ, vnde oriundi, qua in parrochia baptiſati: item dies obitus, ſi Nouitiatus tempore quis è viuis contingat excedere; expulſionis ſimiliter rationes, & cauſæ talis expulſionis notentur, & ſincerè explicentur, vt, ſi aliquando ſit opus, conſulantur.

19 Nunquam liceat profeſſare aliquem ſine litteris, ac atteſtatione authentica ætatis, & legitimæ procreationis, aut legitimationis, ſi neceſſe fuerit; quæ litteræ teſtimoniales ætatis deſumentur à libris baptiſmalibus parrochiarum, in quibus fuerint baptiſati: vel ſi libri eiuſmodi non haberentur, recipiantur nomina trium teſtium fide dignorum per manum notariorum atteſtantium ætatem profeſſandorum: quod ſi prædictæ litteræ eſſent à longioribus partibus accerſendæ, litteræ omnes tam baptiſmales quàm confectę per notarios authenticentur coram locorum Iudicibus, appoſitis ſignis ac ſigillis, & hęc omnia diligenter conſeruentur in archiuio, ſub pœna excommunicationis latæ ſententię, ne temerè ante ætatem legitimam quis recipiatur ad profeſſionem, vel deinde ad ſacros Ordines.

20 Nouiti⁹ propria manu in ſchedula, in qua formam profeſſionis legerit, profeſſionem ſubſignet: Conuerſus verò litterarum ignarus propria manu ſignum Crucis apponat, ſcriptum aſſeruetur in archiuio, ſeu capſa trium Clauium.

21 In alio libro, qui dicetur regiſtrum, ſeu Catalogus fratrum Profeſſorum, dies emiſſæ profeſſionis, eius

formula, ætatis testimonium, & nomen emittentis ordinatè scribentur, cui primò subscribere teneatur profesſans clericus vel laïcus, apposito, si scribendi ignarus sit, signo crucis: deinde Prior, & post eum tres aut quatuor ex grauioribus patribus, qui interfuerunt professioni, vt tantæ rei in sequentibus temporibus scripto fides sit & adhibeatur.

11 Sciant vniuersi fratres in quocunque Conuentu professionem emiserint, non huius potiùs quam alterius Conuentus, sed totius Prouinciæ se esse filios & alumnos, & modo in hoc, modo in illo posse à Superioribus per obedientiam assignari, ita vt nullum deinceps intra eandem prouinciam nationis discrimen, aut regionis diuersitas habeatur, sed omnes sint vnanimes in domo Dei.

CAPVT DECIMVM NONVM.

De Professis.

1 VIX est aliquid, sacro cuiuis Ordini per professionem nouas inseruisse plantas, nisi illas diligenter rigare, & ad incrementum colere sollicitè enitatur; quod quidem tantò operosius faciendum est, quantò reliquus vitæ cursus cuiuslibet religiosi pendet ex primis post emissam professioné annis: in anno siquidé probationis abũde est quod tétationib⁹ resistat,& affectũ ita à ſecularib⁹ auocet, vt tandé firmũ amplectatur propositũ Deo adhęrendi, vnde necesse sit, vt cõueniens detur, & locus, & tépus nouiter professis, quo sacri nostri instituti spiritum altiùs imbibant, virtutes menti inserant, affectus suos

omnes in Deum totaliter trãsferant, vt tandem aliquando ad internam cum Deo conuersationem, iugemque Dei pręsentiam progrediantur; quæ haud dubiè verum Carmelitam constituunt, & efficiunt. Quamobrem.

2 Statuimus quod statim post emissam professionem fratres Clerici, nisi retineantur in Conuentu Nouitiatus, directè mittantur in Conuentum professorij, quem Seminarium vocamus; nec ad varios Conuentus vllo modo dispergantur. Quod exactè & districtè seruandum præcipimus Priori Prouinciali, sub pœna depositionis ab officio.

3 Huic Seminario, à Definitorio, vel Prouinciali pręficiatur Magister, ijs qualitatibus ornatus, quas in Magistro Nouitiorum requirimus, & quantum fieri poterit sit Subprior Conuentus, habeatque plenam auctoritatem super omnes fratres, tàm clericos, quàm laïcos, quam Prior tueri curabit, & si amoueri contingat, alius à Superiore supplebitur.

4 Per tres annos fratres ibi maneant, iuxta decreta Pontificia: primo autem anno vix scientiarum humanarum studio applicentur, sed maximè Deo vacent; exercitationi spiritualis meditationis, & orationis, & praxi quotidianæ virtutum: sint silentij, solitudinis, & Cellę amatores, & internæ cum Deo conuersationis studiosi, quod vt fiat facilius, illo primo anno foras raró mittantur.

5 Nunquam ad quæstas, seu terminos, nec patribus in vrbem ituris dentur in socios: in officijs autem Ecclesiasticis exercebuntur, & in arte cantandi se perficient: exercebuntur tamen in officijs humilitatis, & socij Sacerdoti per vrbem Eleemosinas exquirenti dabuntur.

6 Iisdem mortificationibus, quibus nouitij, imo rigidioribus exerceantur.

7 Vbi non fuerit officium B. Virginis, in Choro recitatum, scorsim quisque in cella recitabit.

Negotijs

8 Negotijs Monaſterij communibus non interſint, nec vllam cum patribus aut antiquioribus profeſſis familiaritatem habeant, ſub pœna graui.
9 Nec pro vrgenti neceſſitate Conuentuum Prouincialis aliquos ex Iunioribus profeſſis, qui triennium in ſeminario non compleuiſſent, ad alios mittat Conuent⁹, ſed toto illo tépore permaneãt ſub Magiſtro Profeſſorum, qui eos regat in ſpiritualibus, & vniuerſaliter in omnibus Conuentibus curet, vt præter Priorem, ſit ſemper aliquis monitor probatæ vitæ & pietatis, qui religioſos noſtros in ſpiritu pro neceſſitate conſolari poſſit, & adiuuare; prout dicitur Cap. 5. ſecundæ partis.
10 In ſecundo anno non poterunt liberius foras mitti etſi fuerint maiori virtute inſtructi, nec in officijs exerceri, nec in ſocios Concionatoribus aſſignari: tamen per certas horas, quas à Priore & Magiſtro ſaltem duas aut tres eis aſſignari diſtrictè pręcipimus; humaniorum litterarum, Eloquentiæ, linguarum peritiæ, alijſque ſtudijs, pro cuiuſque neceſſitate ac peritia, diligenter vacare poterunt. quo Elapſo trium annorum à Profeſſione curriculo, indilatè ſtudijs Philoſophię, vel Theologię applicabuntur.
11 Qui autem poſt curſus Philoſophiæ, vel Theologiæ in aliquem conuentum recollectionis mittentur ad tempus, ita ſuis ſtudijs vacabunt, vt dum pietatis opus reuiuiſcet, doctrinæ ſplendor omnino non extinguatur: quod vtrumque cum magni ſit in noſtra religione momenti, iubemus vt circa hæc præcipuâ curâ inuigilent in ſuis viſitationibus ſuperiores maiores.
12 Nullus ex profeſſis ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimũ ſecundũ iam inchoatũ annũ, ad Diaconat⁹ auté vigeſimũ tertium; ad preſbiterat⁹ ante vigeſimum quintũ ætatis ſuę promoueatur; & in his, ſicut in omnibus, Eccleſiæ canones, & regula exactiſſimè obſeruentur.

11 Siquis ſcienter ante prędictam ætatem ſacros ordines ſuſceperit, carceri mancipetur ad arbitrium Prioris Generalis, vel Prouincialis, & ipſo iure ſuſpenſus remaneat ab executione ordinum, donec cum eo fuerit diſpenſatum: Superior autem qui dederit licentiam ſuſcipiendi ſacros Ordines, nec adhibuerit ſufficientem diligentiam, ſit ab officio ipſo facto ſuſpenſus.

12 Non promouebit ad ſacros Ordines Prouincialis niſi competenti pietate, ac doctrina inſtructos, diligenter in vtroque examinatos, & habentes à Sacerdotibus ſui Conuentus teſtimonium de vita, & moribus, ſub grauiori pœna, iuxta normam Conc. Trid. & litteras etiam teſtimoniales authenticas ætatis legitimæ eorundem, quas apud ſe productas retinebunt, vt ſi opus fuerit, de licentia data, rationem reddere valeant; aduertant, quod litteras dimiſſorias, pro ſuſcipiendis ordinibus, ſuis ſubditis concedere debent ad Epiſcopum eorum diœceſanum, & ſi abſuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum mittantur, exprimenda eſt in ipſis litteris cauſa abſentiæ diœceſani, vel ordinationum ab eo non habendarum, & ſciant quod diſpenſare in interſtitijs pertinet ad Epiſcopum ordinantem, & ideò ſi neceſſe ſit, quandoque Epiſcopus per litteras rogetur, vt cum tali & tali dignetur diſpenſare, attenta tali vel tali cauſa, vtilitate ſcilicet vel neceſſitate Eccleſiæ: & ſiquis ex noſtris fratribus profeſſis permiſerit ſe ordinari ſine licentia Prioris Generalis, vel ſui Prouincialis, pœnam carceris per quadraginta dies ſubeat.

13 Omnes & ſinguli profeſſi in Theologiæ ac Philoſophiæ curſu actu non ſtudentes, ſi in Nouitiatu, aut ſeminario degãt, Magiſtro Nouitiatus aut ſeminarij ſubſint, & communibus Nouitiatus aut ſeminarij actibus interſint.

CAPVT XX.

De fratribus laïcis.

1 ORdinamus quod in noſtris Conuentibus ſit conueniens numerus fratrum laïcorum, qui obſequijs corporalibus Conuentuum occupentur, & clericis cum opus fuerit inſeruiant iuxta diſpoſitionem Præſidentis.

2 Fratres laïci habeant tunicam griſeam & breuiorem clericis pede medio, cum ſcapulari & caputio etiam griſeo, ſimiliter cappa & caputio albo, & nulli ad habitum noſtrum recipiantur in Conuerſos ſeu laïcos, niſi priùs rectè ſçiuerint, Pater noſter, Aue, Credo, & ſaltem pręcipua doctrinæ Chriſtianæ Capita, & demum niſi in vigeſimo ætatis ſuæ anno fuerint conſtituti.

3 Laïci profiteantur obedientiam, Caſtitatem, & paupertatem, & dicant preces ſuas, ſicut per regulam ſunt aſtricti, & cuilibet Pater noſter ſubiungant in fine Aue Maria, teneanturque ſingulis diebus intereſſe miſſæ; pro Cōpletorio dicāt quindecim Pater noſter, & Aue Maria.

4 Mites ſint & humiles, viſcera charitatis habentes, & neceſſitatibus fratrum Clericorum communicantes, & ſubuenientes: ſibi autem inuicem in ſuis officijs mutuam opem ferant, renuentes pro modo culpæ puniantur.

5 Mandamus Prioribus localibus & Præſidentibus Conuentuum, quod fratres laïcos per ſanctæ obedientię meritum moneant, inducant, &, ſi opus ſit, compellant ad operandum, & ſemper eos in aliqua bona

operatione detineant, ſub pœna grauis culpæ per duos dies tàm Priori, quàm otioſis, aut vagè diſcurrentibus infligenda, cum in regula iubeamur ſemper aliquid boni operari, otioſitatemque vitiorum omnium originem deuitare.

6 Declaramus fratres noſtros laïcos verè & propriè eſſe Religioſos, & gaudere priuilegijs Regularium, nec illos ſeruorum nomine, ſed fratrum volumus appellari, & vt tales à Clericis amari, & honorari, & in hoc delinquentes puniri.

7 Quotidiè manè ab hora quarta ad quintam, & ſerò ab octaua ad nonam, clauſis omnibus ſuis officinis, ſimul omnes in Chorum, aut Oratorium conuenient, per horam, tùm orationi mentali, tùm vocali, officium ſuum recitando, vacaturi; negligentes pro modo culpæ puniantur.

8 Quicunque ordinem laïcus intrauerit, nec litteras diſcat, nec libros ad hunc vſum habeat: quod ſi in ingreſſu legere & ſcribere ſciat, non præſumat tamen apud ſe retinere libros, niſi forſan, de licentia Superioris rarò concedenda, librum aliquem pium, ſub pœna carceris, tùm ipſi, tùm Superiori permittenti.

9 Libros latinè conſcriptos non habeant; item ad Chorum accedere, & cum Clericis cantare non pręſumant, ſub pœna grauis culpæ; miſſæ tamen miniſtrabunt cum cappis albis, maximè in pręſentia ſęcularium.

10 Clericis, & pręſertim in ſacris Ordinibus exiſtentibus, potiſſimè verò Sacerdotibus, laici, vbicunque fuerint, debitam exhibeant reuerentiam, ſub pœna media, pro primo defectu infligenda; ſciant autem quod etiamſi profeſſi ſint, in proceſſionibus, & publicis functionibus locum cedere debent Clericis Nouitijs.

11 Quamuis omnes pro neceſſitatibus Conuentus ſoli tam quotidiè in vrbem ad prouiſiones, quàm in agros

pro vrgentibus negotijs mitti possint, & debeant, attendant tamen Priores, vt illos dumtaxat, quos nouerint ætate & moribus graues, & probatæ virtutis, solos mittant; tunc autem prędicti fratres cum pileo nigro super caputium, & pallio grisco super tunicam griscam modestè incedent, & honestè.

12 Sint silentij amatores vbicunque sint in pręsentia Patrũ, sed pręsertim coram sęcularibus: otiũ fugiant, fideliterque & sedulè se in operib⁹ manualibus exerceant: ita tamẽ vt sẽper mentis ad Deum directionẽ initio pręmittant, & inter laborandũ sæpiùs mentẽ ad Deum eleuent.

13 Cùm fratrum laicorum animus non adeò contemplationi vt Clericorum attendat, quotidianis recreationibus non indigent, sed post refectionem quisque illorum ad opus commissum vadat, & se omnes in proprias officinas recipiant, nisi alio modo faciendum ordinauerit Superior.

14 Dominicis & alijs diebus festiuis ad subleuandos fratres Clericos, qui his temporibus plus solito in Choro & Ecclesia laborant, scutellis, cęterisque vtensilibus, & culinæ vasculis mundandis, & tergendis occupabuntur: deindè se simul honestè in hortis aut alijs locis ordinatis à fratribus Clericis seiuncti recreabunt vsque ad collationem aut exhortationem spiritualem, cui interesse cum alijs religiosis tenebuntur.

15 Curet Prior eos à nimio labore subleuare, præsertim qui culinę inseruiunt; & vbi extraordinariè laborant, potest, ac debet, si necesse sit, in ieiunijs ordinis cum eis dispensare; eorum item officia interdum cõmutare; ita vt alter alterius onera portet, in spiritualibus, vt deuotè instruãtur, ac confortentur, munus erit illius Patris qui curam fratrum Clericorum in Cõuentu habebit, cui etiam post Priorem submittẽtur, confessionibus autem, communionibus, exhortationibus assidui intersint sicut & cęteri,

16 Idem Pater eos benignè doceat fidei articulos, Dei & Ecclesiæ præcepta, examinandæ conscientiæ, & sacram Eucharistiam fructuosè recipiendi modum, orationis, & quotidiè actus suos dirigendi methodum: & quomodo Deum operantes manibus vbique præsentem habeant. Item eis frequenter exponet quæ de regula & constitutionibus ad eorum statum pertinent; eos in officijs, quæ illis imponuntur, instruere debet; quomodò illa faciant, sollicitè, diligenter, & purè propter Deum: illos, qui nesciunt aliquam artem in ordine necessariam, occupare; & alijs fratribus, qui vtilem artem sciunt, committere eos ad discendum vtrosque inuitare aut etiam compellere teneatur,

17 Circa votorum obseruationem eos frequenter instruat, explicetque clarè & distinctè in quibus consistat, ne ignoranter peccent contra aliquod, maximè verò contra Obedientiam,

18 Reducet eis in memoriam quod eandem professionem faciunt quam Clerici, vt ex hoc intelligant se ita obligatos ad ea quę sunt ordinis, vt sic non negligant ea quæ sunt religionis, suæ professionis, & virtutum progressus,

19 Caueat, ne de sua sorte contenti non sint: & si aliquando animaduerterit, occasione quarundam ordinationum, quæ fieri solent per Capitula, aut Superiores maiores, inquietudine aliqua turbatos, aut quadam animi molestia plus æquo affectos, piè & prudenter eos sedare sit sollicitus, eis ostendendo, quod hæc non fiant in eorum contemptum, sed propter aliquam causam rationabilem, & Superioribus manifestam, quorum voluntati, & dispositioni, virtute sui voti obedientiæ, omnino subijci debent; quod deinde in honorabiliore statu sunt apud nos, quam alij conuersi in alijs ordinibus religiosorum,

20 Instruendi sunt prçtereà, vt quãdo sunt inter extraneos honestè humiliterq; se habeant: quod mẽsis Episcoporum, Principum, Primatum, cçterorũque Illustriorum virorũ non nisi inuitati accumbãt, ijs in eorum domibus, & vbiq; non loquantur, nisi rogati, & tunc brçuiter respondeant: quòd suum statum non dissimulent, aut denegent, sed vbique humiles sint, silẽtij obseruatores, & simplices, vt Dei cum illis sit interna sermocinatio.

21 Cçterùm cùm in ædificationem & spiritualem profectum fratrum laïcorum eidem Patri cura sit demandata, erga illos ita paternè, & amanter se gerat, vt eum, quando eguerint, liberè conuenire valeant, eius monitiones, consilia, & instructiones sedulò audituri; si quos verò inobedientes & incorrigibiles notauerit, Superioribus deferet, vt per eos meliùs emendentur.

22 Diebus festis, nisi legitimè sint impediti, maiori missæ, & diuinis Officijs intersint, prçcipuè missis priuatis durante Officio inseruiant.

23 Fratres laïci radantur more Clericorum, nec barbam nutriant, & singulis quindenis vt cæteri tondeantur, nec præsumant portare coronam; sub pectinç tamen eorum caput tondeatur.

24 Siquis laïcus tonsurari se fecerit cum corona clericali, vel ad sacros Ordines promoueri, carceri mancipetur per annum, & abrasa corona clericali, perpetuò indispensabiliter sit suspensus ab executione ordinum, & obsequijs vilioribus Conuentus addictus; inter laïcos semper & vbicũque locum teneat; & si Prouincialis aliquis ausus fuerit vllum laïcum corona clericali donare, absque mora suo officio priuandus erit; & laïcus etiam ordinatus abrasa corona perpetuò manebit ab ordinum executione suspensus, & inter laïcos habendus.

CAPVT XXI.

De Sacerdotibus & Confessarijs.

1 PRIMA eaque precipua sollicitudo eorum, qui Sacerdotio sunt decorati, sit ita ad pietatis normam omnes vitæ actus componere, vt meritò quotidiè celebrare possint, tantique Sacramenti ministros se præstent in dies magis idoneos: bis aut saltem semel in hebdomada confiteantur, idque antequam Sacerdotales vestes assumant, & priusquàm etiam campanę signo ad Sacristiam vocentur.

2 Semper, antequàm suscepto sacri ordinis charactere primam missam celebrent, parent se omnibus pietatis exercitijs, præsertim solitudine, aut saltem recollectione decem dierum.

3 Cæremonias omnes, prout sunt in cæremoniali, fideliter, & vniformirer obseruent, nihilque noui introducere, aut mutare præsumant, sub pœna graui: in missa autem celebrandą pronūtiationem & aliam quamcunque actionem ita moderentur, vt non minùs aliorum ędificationi, quàm propriæ deuotioni satisfaciant: ideò nec prolixiores sint, nec contractiores.

4 Ad campanæ signum vocati ad Sacristiam festinanter se conferant, eas sumpturi vestes, & ad illud altare accessuri, deque eo officio sacrum facturi, quod Sacrista designauerit, sub pœna media: siquis autem in celebranda quotidie missa, vel in prædictis negligens fuerit, seueriùs à Superiore corrigatur.

5 A Celebratione quotidiana nemo excipiatur, nisi fuerit iustè impeditus, & hoc de assensu Prioris, sub pœna graui.

6 Cauebit Prior ne inhabiles, vel propter senectutem, vel propter aliquem defectum, permittat ad sacrum altare pro conficiendo sacro accedere.

7 Ordinamus quod in singulis Conuentibus Superiores deputent duos aut tres confessarios, aut plures, pro subditorum numero maiori, vel minori, ijque sint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reseruatis fratres absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse imprimis confessarius iudicauerit, audire poterunt etiam confessiones nostrorum fratrum extraneorum.

8 Omnes ij quibus confessiones audiendi munus committitur, illud à Deo suscipiant, tanquam omnium mediorum efficacissimum ad lucrandas animas, & ad illud ritè obeundum sanctè afficiantur.

9 Nemini liceat confiteri alteri Sacerdoti à deputatis, quia confessio esset nulla, sub pœna grauissimę culpæ per tres dies infligēda, tam confitenti, quàm audiēti, citra tamen articulum necessitatis, aut de licentia Superioris.

10 Nulli fratrum liceat sine licentia R. P. Generalis, Capituli Prouincialis, aut ipsius Prouincialis extra capitulum, & Ordinariorum approbatione, confessiones sęcularium, etiam Sacerdotum, audire, sub pœna priuationis vocis & loci; quę licentia in scriptis Priori constare debebit: sed neque aliquid exequi audeant fratres nostri quod ad ordinarios Ecclesiarū pertineat, vt putà Sacramenta Eucharistiæ, Matrimonij, & extremæ vnctionis ministrare, sine Prælatorum, vel Curatorum licentia.

11 Fratres in itinere constituti, aut extra Monasterium degentes de licentia suorum Superiorum, cuicunq; Sacerdoti professo nostri ordinis, vel etiam Nouitio, vel defectu Sacerdotis ordinis, religioso extraneo, aut etiam Sacerdoti sęculari poterunt confiteri.

12 Quilibet fratrum confiteantur in loco aperto, & patenti, vt Ecclesia, Sacristia, Oratorio, & non alibi, nisi in casu necessitatis, sub pœna graui.

13 Animaduertăt autem fratres nostri religiosorum nostrorum ordinarij Confessarij se illos absoluere non posse à censuris incursis ob Apostasiam, & violentam manuum iniectionem in clericos, & ob transgressionem præcepti à quouis Superiore ordinis facti sub pœna excommunicationis aut alterius cẽsuræ alicui fratri, nisi ipse Superior dederit illi specialem facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis.

14 Superior inferiorũ non audiat cõfessiones nisi iuxta Clementis VIII. editum die XXVI. Maij M.D.XCV. circa reseruationem casuum.

15 Reuerẽdi Prouinciales in suis visitationib⁹ idoneos deputabunt ministros ad cõfessiones secularium audiendas, quos singulis annis examinabũt, sicut & Prædicatores; probabũt pariter õnes Sacerdotes in suis missis dicẽdis, & quos non inuenerint idoneos, officij ministratione priuabũt, non obstãte quacunq; licentia à prelatis suis maioribus obtenta: irregularib⁹ animarum cura non tradatur; cum voce tamen & loco carẽtibus, tam circa confessiones audiendas, quàm predicãdum verbum Dei, poterit etiam extra Capitulum Prouinciale in aliquibus casibus Prouincialis dispẽsare, nec licebit vlli Priori locali absq; eius facultate quenquã instituere cõfessarium sæcularium.

16 Habeantur in loco publico casus reseruati Dño nostro Papæ, & Episcopo loci, vt ab omnibus legi possint: reseruati verò Ordinis Superioribus bis in anno coram omnibus fratribus declarentur, sub pœna graui Priori negligenti infligenda: sint etiam Priores solliciti & intenti, vt sciant, & habeant statuta synodalia, in quibus frequenter feruntur sententiæ, vbi similiter aliqua scitu necessaria prohibentur confessiones fidelium audien-

tibus; habeant prætereà confessarij sanctissimi Domini nostri Bullam, quæ legitur in Cœna Domini, & caueant nè de dictis casibus Episcoporum & Prælatorum sine eorum licentia speciali absoluere quempiam audeāt vel præsumant, sed ordinationem, & constitutionem Concilij Viennensis sequantur, nisi forsan frater aliquis super certis casibus expressam ab Episcopis haberet licentiam specialem: adsint etiam in omnibus Conuentibus casus, in quibus sententia excommunicationis incurritur ipso iure, & precipuè de VI. Decretalium Bonifacij VIII. & similiter de Constitutionibus Concilij Viennensis, quæ sunt in Clementinis.

17 Confessarij audiant pœnitentes seculares in confessionalibus sibi designatis à lateribus Ecclesiæ & Capellarum, extra Chorum, in locis decentibus, patentibus, ac manifestis collocatis, atque à dextris & sinistris ita cōstructis, vt tabulæ ligneæ mediæ sint inter sedem confessarij, & genuflexorium pœnitentis, quęque eos ita seiungant, vt confitentes genua aut pedes confessarij tangere non possint, neq; illius intueri vultum: in illis autem tabulis sint fenestellæ laminis ferreis perforatę, aut craticulis similiter ferreis, seu ligneis munitę, foramina carū ita sint minuta, ne man⁹ aut digiti ex eis emitti possint.

18 In necessitate autem, vbi locus non erit ita dispositus, vt tabula Confessarium à pœnitente diuidat, manus tecta sit scapulari, vel cappa, inter faciem propriam & confitentem interposita, qui confitens ad latus esse debet, & non ad genua Confessarij.

19 Curent Confessarij in modo procedendi esse conformes, & aliorum confessorum æstimationi vnusquisque cōsulat, vt seculares aduertant nostros confessarios esse charitatis vinculo coniunctos, sub pœna media.

20 In audiendis Confessionibus presertim mulierum seueros potiùs quam familiares se ostendant, nec mul-

tos cum illis in confessione sermones misceant, & extra si necesse sit colloqui, breues sint, & oculos semper in terram demissos habentes.

21 Caueant ne directè vel indirectè vllos sollicitent, vt ad se veniant confitendi causa, nec ægrè ferre demonstrent, si qui confiteri sibi soliti erant, etiam non petita venia, alium confessarium adierint, qui in hoc deliquisse conuictus fuerit, pœna graui puniatur.

22 Nullus Confessarius aliquos ad vota emittenda inducat, & præcipuè fœminas, nec illarum vota suscipiat, aut peculiarem ab eis obedientiam sub promisso aut voto exigat, nec certum vestimenti aut vitæ genus ipsis præscribat, sub pœna graui.

23 Si quæ extraordinaria exercitia spiritualia pœnitentibus tradere voluerint, à Superiore facultatem petent, & quænam sint exercitia declarabunt, sine fractione tamen aut directa aut indirecta sigilli confessionis; nullius autem personæ speciale regimen assumant, extraordinariam eis vitæ formam prescribendo.

24 Hortamur & obsecramus in Domino omnes Confessarios, vt cum vocantur ad iuuandos eos qui morti vicini sunt, vel publico supplicio damnati, alacriter & celeriter festinent, nec labori parcant, vt animam Christi sanguine redemptam, cuius tunc periclitatur ęterna salus, Deo lucrifaciant.

25 Caueant diligenter, ne aliquando directè vel indirectè, priuatim aut publicè, in Monasterio vel extrà, de auditis in Confessione sermones misceant, sub pœna graui.

26 Nouerint Confessarij se teneri diuino officio tàm diurno quàm nocturno interesse, nisi actu sint officijs suis occupati: diligenter tamen studio casuum Conscientiæ singulis diebus incumbent; consultò super ea re Superiore, qui eos, vt omnes alios inferiores, & omni pie-

tate & doctrina promouere tenetur.

27 Vocati ad Ecclesiam pro Confessionibus audiendis à Sacrista, Ianitore, aut aliquo alio, gaudenter festinent, Christum cogitantes, qui vt animas nostras à perditione liberaret, proposito gaudio sustinuit Crucem.

28 Qui è Cõfessarijs aut alijs fratribus ad visitãdos infirmos mittuntur, si auxilij sunt capaces infirmi, nõ eos priùs deserant, quàm in gratia Dei & bono statu esse credãtur, laborentque vt expiatis per confessionem & pœnitentiam peccatis, sumptoque Eucharistiæ Sacramento, & extrema vnctione, diuinæ voluntati conformẽtur; Agonisantibus continuò adsint, & cum eis, si opus sit, pernoctent: rerum temporalium infirmorum dispositionibus sese non implicent, nisi in quantum ad exonerandam eorum Conscientiam requiritur; illos hortentur ad testamenta condenda, his tamen conficiendis assistere prohibemus; sicut pernoctare cum infirmi diem vitę clauserũt extremum, sed vt pro eis suffragia fiant, in Conuentum procurabunt quamprimùm redire.

CAPVT XXII.

De Concionatoribus.

1 QVandoquidem non alijs, quam bonæ vitæ exemplis, & eruditarum Concionum documentis itur ad locupletissimum animarum Christi sanguine cõparatarum quęstum ac negotium, ideo vt digni esse possimus, qui iure vberes (quod de nostro ordine summi Põtifices ante hęc tẽpora prædicarunt) in Ecclesia Dei fruct⁹ afferamus.

2 Ordinamus, quod in omnibus & singulis ordinis nostri Conuentibus maioribus per Prouincialem deputentur duo Concionatores ordinarij, qui pro locorum

diuersitate & cõsuetudine conciones habeant, tam in Ecclesijs nostris, quàm in extraneis, vbi requisiti fuerint.
3 Nullus frater prędicare pręsumat, nisi à Priore Generali, vel Prouinciali, de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus, & nisi à Reuerendissimo Ordinario benedictionem personaliter acceperit in Ecclesijs nostri ordinis; in alijs verò nisi de eius licentia petita, & obtenta, sub pœna carceris.
4 Concionatores omnes in omnibus Priori locali subsint, nec vllibi absque eius facultate prędicare præsumant, aut aliquid ipso renuente aggredi, vel certum sibi asciscere socium, sub pœna priuationis vocis & loci: non facile eis permittatur prætextu communis boni munus aliquod publicum obire, Curiam sequi, aut apud Magnates demorari.
5 Teneantur adesse Choro horis tam diurnis quàm nocturnis, nisi in officio prędicationis actu occupentur, ordinemque suæ professionis vbique tenebunt, nec vllo priuilegio ratione talis dignitatis gaudebunt.
6 Ijs tamen, quos ad prædicationis officium Prouincialis destinauerit, habebit ipse cum Priore locali certum tẽpus congruũ determinare cõficiẽdis sermonib⁹, & eos à Choro vt iudicàuerit eximere: nec in hoc facit contra decretum Clem. VIII. nolentis prædicatores à Choro abesse, nisi dum actu prędicant: subiungit enim idem Põtifex posse Superiores dispẽsare cum ijs qui studiorum causa sunt legitimè occupati, quales sũt qui actu & reipsa ad cõcionandũ proximè se disponũt: nunquam tamen sic eximãtur, quin alicui sẽper officij horæ intersint; pręsertim verò orationi mentali matutinæ cum alijs in Choro adesse tenebuntur, sub pœna media.
7 Meminerint se esse Dei instrumenta in conuersione & sanctificatione animarum, quare quantum ex ipsis est conentur esse instrumenta ad talem finem ac-

commodata, quod fiet si Deo interiùs vacent per familiarem cum eo conuersationem, & Sanctam in lege Domini meditationem, per continua virtutum exercitia; maximè autem per internos actus humilitatis & charitatis, quibus soli Deo placere quęrent.

8 Non sint affectati, nec verborum lenocinia sectentur, in laudibus & reprehensionibus à nimijs exaggerationibus, & ab omni specie adulationis abstineant.

9 Curabunt item non minùs exemplo quam verbo proficere, ne destruant opere, quod ædificauerint sermone, ideóque tam intra quam extra Monasterium omnia ordinis statuta obseruent, nisi intercederet necessitas, ac specialis dispensatio.

10 Principes, Magistratus, Reipublicæ Pręlatos, & Cęteros etiam Ecclesiasticos in concione in particulari non reprehédant, cùm experientiâ constet, nihil vtilitatis percipi ex eiusmodi publicis reprehensionibus.

11 Contra Pręlatorum & Episcoporum decreta non loquantur, quamuis contra priuilegia nobis à summis Pontificibus concessa ipsi insurgant, ne schismata videantur in Ecclesia Dei.

12 Fratres in Concionibus, nec Prophetias, nec nouitates, ex genio suo intrudere, aut comminisci præsumant, nisi in Sacris litteris expressa, aut in aliquo libro cuius probatæ opinionis sit author: nouarum opinionum non sint amantes, aut nouas sententias inducant, nec disputationes in inuicem, aut contra alios prædicatores habeant; Contrauenientes pro qualitate culpæ puniantur.

13 Item abstineant à facetijs risum mouentibus, quæ contemptibilem reddant concionem, sed potiùs excitent ad pœnitentiam auditores, ad frequentem vsum confessionis, & Eucharistiæ, ad continuum in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium rerum studium

incumbendum, ad obedientiam reddendam Prælatis, Regibus, & Principibus, qui in terra vices Dei gerunt, & maximè ſummo Pontifici Rom.

14 Caueant diligenter Concionatores, ne dum impuritatis vitium coarguunt, ipſi verbis obſcænis, ſeu comparationibus religioſam caſtitatem minùs redolentibus conceptus ſuos exprimant, ſub pœna media pro primo defectu.

15 Caueant item diligenter publicis negotijs ſe ingerere, vel vllius particularis perſonæ priuatis ſtudijs pro concione fauere, aut aliquid pronunciare, quod poſſit eſſe occaſio, ſeu cauſa ſeditionis: denique reddant ſe operarios irreprehenſibiles, rectè tractantes verbum veritatis, à Domino copioſam recepturi mercedem.

16 Sciant autem fratres noſtri, quod vbicunque concionentur, conformare ſe debent Euangelijs, & Epiſtolis Miſſalis Romani.

17 Ea ſtudia maximè colant, quæ officio eorum congruunt, imprimis verò Scripturæ Sacrę interpretationi, fidei explicationi, Theologię ac Philoſophiæ ſcientiæ, Patrum doctrinę, linguarum peritiæ, hiſtoriæ Sacrę cognitioni incumbant; Eloquentiæ neque rudi neque affectatę ſe exerceant, eaſque conciones pręparent, quæ Spiritus ſancti vnctionem, & ſinceram Carmelitani Inſtituti Sanctitatem auditoribus inſpirent: ideò pręcipimus vt prædicatores noſtri, diebus Sabathi, tempore Quadrageſimæ, ſuis in Concionibus intra explicationem Euangelij, & aliarum, & aliàs cum fieri poterit ſemper aliquid prędicent de Beatiſſima Virgine Maria, huius noſtræ religionis Montis Carmeli Domina, idque ob deuotionem populi, in laudem eiuſdem pijſſimę Matris: recordentur inſuper prędicare de ſanctis ordinis, & ſæpe aliqua exponere de antiquitate, & amplitudine religionis, & confraternitatis ſacri Scapularis, ac de earum

indulgētijs, nimia tamē abſque exaggeratione; ſecùs faciētes, ad illud ſacrum munus obeūdum non admittātur.
18 Ea ſemper ſint humilitate prędití, ac de ſua capacitate ita modeſtè ſuſpicentur, vt à Superiore, aut ab alijs, quos ad id deputauerit, gratum habeant, ſi quid in concione peccauerint, admoneri, & de hoc ſincero affectu ſępè inquirāt cōſilia quantum in ipſis eſt obſequi ſtudētes, & in alios cōcionatores ſub quocunq; prætextu non inuehantur: nec cathedras, ſiue pulpita ambitioſè cōquirant, cùm nō aliter fermè, quā in ſupplemētum aliorum, videlicet Epiſcoporum, huic functioni deſtinemur.
19 Prohibemus ſub pœna priuationis vocis & loci ne prędicatores barbam nutriant, neque vexilla, ſeu alia ſigna particularia & externa portent, vnde populus eos ſequatur.
20 Nullas ſiue verbo ſiue ſcripto cum hæreticis diſputationes aggrediantur, ſine conſenſu Reuerendiſſimi Epiſcopi, & ex licentia Prouincialis, aut localis eorum Superioris, & ea obtenta, id munus ſobriè, prudenter, grauiter, ac modeſtè exequantur.
21 Nullū opus imprimi faciāt abſque licētia Reuerendiſſimi Patris Generalis, aliorūq; Superiorum, doctorum approbatione, & alijs conſuetis, pro Regionum diuerſitate, ſub pœna grauiore; quod etiam potiore iure omnes alios, cuiuſcunque conditionis exiſtant, obligat.
22 Prior mittens ad concionandum aliquos à Prouinciali non approbatos ab officio deponatur: vbi tamen neceſſitas aderit, aliquem, de cuius idoneitate conſtaret euidenter, de aſſenſu diſcretorum Patrum à conſilio poterit concioni applicare, & quamprimùm approbationem à Prouinciali obtinere, obtenta etiam benedictione, ſeu licentia, Reuerendiſſimi Ordinarij, vt de alijs dictum eſt.

CAPVT XXIII.

DE NEGOTIIS SÆCVLARIbus & alienis.

Quæ specialiter fratribus prohibentur.

1 LICET passim his Constitutionibus variæ circa sęcularia negotia inserantur prohibitiones: vt tamen faciliùs memoria retineantur, maximè à Concionatoribus, Confessarijs, & alijs, qui sępe cum sęcularibus agunt, visum est hoc capite pręcipuas summatim colligere.

2 Per sanctam ergo Obedientiam iubemus, ne fratres nostri sint tutores, aut testamentorum executores, seu rerum alienarum dispensatores, sub pœna priuationis vocis & loci ipso facto, & sub pœna carceris secundum qualitatem delicti infligenda.

3 Item districtè prohibemus, nequis sit Procurator, aut defensor causarum quorumcunque externorum, sub pœna prefata.

4 Item ne sint iudices causarum Ciuilium minùsve Criminalium, aut sęcularium arbitria suscipiant, sub pręedicta pœna: non prohibetur tamen, quin per amicam compositionem, quę litigatores non cogat, sed suadeat, paci & reconciliationi tum proximorum tum etiam amicorum Conuentus, de licentia Superiorum, possint vacare.

5 Mercationes omnes directè vel indirectè fratribus

districtè prohibemus, sub pœnis in iure contentis.

6 Nullus clericorũ artem Medicinæ, etiam citra incisionem & adustionem, sub quocumque prætextu exerceat, sub pœna grauis culpæ; caueantque Confessarij dũ ægrotos visitant, ne illorum corporalibus morbis curandis se immisceant, aliqua eis medicamenta, aut viuendi regulas præscribendo.

7 Nulli liceat infantes ex fonte Baptismatis excipere, aut eis nomen imponere.

8 Procurandis aut contrahendis matrimonijs nullus vllo modo se intromittat, sub pœna priuationis vocis & loci ipso facto.

9 Districtè etiam inhibemus, ne aliquis sit Orator, Ambassiator Principis cuiuscumque potestatis, aut Communitatis, sub præfata pœna.

10 Nullus item politica negotia, quæ pertinent ad regimen Vrbium, Prouinciarum, Regnorum, & alia, quæ vnico verbo res status nominantur, tractare, aut illis se immiscere vllo modo præsumat, sub pœna priuationis vocis & loci, depositionis ab officio: nemo enim militans Deo (inquit Apostolus) implicat se sæcularibus negotijs.

11 Licèt pium sit miserabilium personarum curam agere, tamen tum propter distractiones, tum propter periculũ, prohibemus, ne vll⁹ curet pecuniam dari mutuò vlli personę à quocunq; sęculari: prudenter tamen de Superioris licẽtia pauperũ ad se confugientium miseriam poterũt Confessarij diuitib⁹, & deuotis personis declarare, vt, si velint, Elecmosinam aliquam impertiantur.

12 Cęterùm, quia Religiosi non debent habere velle neque nolle, nisi quando eis actus aliquis à lege vel à Superiore permittitur, omnibus nostris mandamus, ac in virtute sanctæ obedientiæ pręcipimus, ne quibuscunque negotijs arduis, grauibus, & publicis procu-

randis, aut pertractandis vllo modo implicentur, sine speciali licentia Reuerendissimi Generalis, aut Prouincialis de consilio suorum Priorum; attendentes, quod melior sit obedientia, quam victimæ, contrarium facere præsumentes acrius & seuerius puniantur.

CAPVT XXIV.

DE STVDIIS ET STVDENTIBVS in Generali.

1 SATIS verò & plusquàm satis fuerat maiorib' in Carmelo eam vitam agentibus, quę in legis Dei meditatione continua consisteret, iugi scientię Sanctorum alueo irrigari ab Eliæ Patris nostri fonte manãti, sed vbi ad cõmunes Ecclesiæ messes, & agri Dominici culturam translati & euocati sumus, nostri instituti ratio postulat, vt omnigenam litterarum scientiarumq; supellectilem non impigrè instruamus: ideò.

2 Ordinamus, quod in qualibet Prouincia certi Cõuẽt', ad habẽda Theologię, Philosophiæ, & Logices studia, per Capitulum Prouinciale designẽtur, maximè quãdiu Conuentus studiorum generalium non erũt ex obseruantibus istarum Cõstitutionum: quæ studia generalia sunt in ordine triginta nouem; videlicet Parisijs, Romæ, Paduæ, Tolosę, Papię, Neapoli, Florẽtiæ, Senis, Pisis, Taurini, Cremonę, Rauẽnæ, Catanię, Drepani, Messanę, Panormi, Barcinonæ, Salamanticæ, Compluti, Ilerdæ, Conimbricæ, Toleti, Vallisoleti, Valentiæ, Oschæ, Granatæ, Hispali, Ossunæ, Cordubæ, Londini, Coloniæ, Moguntiæ, Louanis, Auinione, Cadurci, Perpiniani, Burdigalæ & Andegauis: cumque erunt reformata, aut aliquod eorũ reformandum iuxta has Cõstitutiones, Ordinamus quòd quęlibet Prouincia reformata possit mittere studentes ad quodlibet

ſtudium generale reformatum, de licentia tamen & aſſenſu Prioris Generalis, ita vt Prouincia mittens ſoluat pro fratrib' miſſis competentem ſubuentionem: & nullus eſt promouendus ad huiuſmodi ſtudia, niſi Priùs à Diffinitoribus Capituli Prouincialis pręſentetur Priori Generali, fidé facientibus, quod talis non eſt rixoſus, diſcolus, vitioſus, malè ſuſpectus; ſed docilis, humilis &c. & à dictis ſtudijs non recedent ſine licentia Prioris Generalis, poterunt tamen reuocari à Prouinciali Prouinciæ, in qua adeſt ſtudium, ad quod miſſi fuerunt, vel ab ipſo Priore ſtudij, ſi ſit de exéptis, & immediatè Generali ſubiectis, qui vltra triennium mãſerunt in ſtudijs inutiliter, & ſine aliquo profectu, & remitti ad ſuas Prouincias.

3 Item quo plus temporis ad ſtudium habeatur, optandum eſt, maximeq; inuigilandum, vt ij deſtinétur in prouincijs Conuentus ad ſtudia, in quibus, ex fundatoribus, vel conſuetudine, maioris miſſæ decãtandæ quotidie onus minimè incumbat: ac propterea in eo ſollicitè laborandum, vt quos capaciores & aptiores ad ſtudiorum exercitia habemus Conuentus ſufficienter dotentur.

4 Item fratres noſtri, vi emiſſę profeſſionis, nulli' Cõuentus peculiaris, ſed omnes & ſinguli totius Prouinciæ ſint filij: ſi Cõuentus vbi habentur ſtudia præ paupertate alendis & veſtiendis ſtudentibus non ſufficiant, Ordinam', quod omnes Prouincię Cõuentus, pro rata portione, per Capitulũ Prouinciale taxandas expenſas ſoluant.

5 In Conuentibus ſtudiorum is conſtituatur Prior, qui & vitę Sanctitate, & doctrina præditus ſit, vt in vtroque ſpiritu ſtudium poſſit dirigere.

6 Item habeatur ibi Subprior ætate & moribus grauis, per Capitulum Prouinciale deſignatus, totque ſint fratres laïci, vt ad communia officia ſufficiant, nec ijs ordinariè ſtudentes applicentur.

7 Sint item in illis Conuentibus confeſſarij & Concio-

natores ordinarij: non enim volumus actu studentes huiusmodi operibus vacare, nisi vrgenti necessitate, aut pro exercitatione, quæ alia studia nunquam impediat.

8 Viliora Conuentus officia, vt Ecclesiam verrere, & paropsides mundare, &c. exercere per vices suas secundum Superioris ordinationem tenebuntur: delinquentes pro modo culpæ puniantur.

9 Solus Prior Conuentus poterit concedere facultatem studentibus eundi extra Monasterium, nisi eam Vicario ante egressum suum concessisset.

10 Ad litteras humaniores perdiscendas fratres nostri extra Monasterium non mittantur, sed aliquis ex nostris nominetur, qui iuniores Rhetoricam cum lingua præsertim latina & græca edoceat.

11 Scholæ nostræ nullis sęcularibus pateant ad lectiones cum nostris excipiendas, sub pœna graui.

12 Item inhærentes Decretis summi Pontificis Pauli V. & sacræ Congregationis de propaganda fide, instituim⁹, & mandamus, vt in omnibus Conuentibus, quibus Religiosi operã dabũt Theologiæ, studia linguarum, pręcipuè Arabicæ, & Hebraïcæ, instituantur, designatis regẽtibus, qui illas doceant, & studentibus, qui addiscãt.

13 Fratres studio deputati cautè tempus impendant, nec concionibus, aut alijs, quam arti, & scientiæ, cui sunt addicti, studijs sese applicent, sub pœna graui, duplicanda, nisi se emendauerint.

14 Omnes & singuli lectiones excipiant, functionesque omnes scholasticas exerceant, per vices disputent, & cõclusiones defendãt: negligentes, si ter moniti non se corrigant, à studio remoueantur.

15 Ad hæc studia non mittantur, nisi qui virtutis, & vitæ regularis amatores fuerint, & qui saltẽ tres annos à professione cõpleuerint, nec cum eis aliquãdo R. P. Prouincialis, & Definitores vlla ex causa de tẽpore dispensabũt.

16 Saltem ſemel in anno, per Prouincialem, Priorem, aut lectores, examinabuntur de illius anni tractatibus, habeatq; Prouincialis in viſitationib' diligenter explorare, qua morũ integritate ſtudẽtes proceſſerint, an rixoſi, indeuoti, malè morigerati, inobedientes, regularis diſciplinæ parum amantes &c. vt benè meriti promoueãtur, indigni remoueantur, & his rebus maximè inuigilet.

17 Vbique lectoribus honorẽ deferant, & eam in ſchola modeſtiam ſeruent, quę decet viros religioſos: qui autem bis monitus à loquacitate & immodeſtia in claſſe non abſtinuerit, graui pœnæ ſubiaceat.

18 Item ſiquis irreuerenter erga lectores ſe geſſerit, panem & aquam ad terram comedat.

19 Omnes & ſinguli ſtudentes ad proceſſiones tam publicas quàm priuatas ire teneantur, ſub pœna graui.

20 Omnes non Sacerdotes vno die intra hebdomadam Sacram Euchariſtiam ſument, & ſingulis menſibus ſemel ſaltem Priorem aut Directorem ſpiritualem inuiſent, de internis ſuis occupationibus cum eo & exercitijs ſpiritualibus acturi, ſub pœna leui pro primo defectu.

21 Ad terminos Cõuent' Eleemoſinas collecturi nõ mittãtur, niſi ſemel in anno, idque dumtaxat tẽpore vacationum, & cum aliter Conuentus ſuſtentari non poterit.

22 Ij conſtituantur lectores, qui non ſolum ingenio, & doctrina, ſed etiam pietate præfulgeant, vt noſtros ad ſalutem poſſint erudire,

23 Pro Theologia, quantùm fieri poterit, in eodem Conuentu duo lectores deputẽtur, qui Philoſophiam, & Logicam docuerint; & vnus manè, alter à prandio legat, à quibus intra quatriennium Diui Thomæ ſumma, quæ tribus partibus conſtat, prout melius fieri poterit, perlegetur, ita tamen vt principaliores Theologiæ tractatus accuratiùs diſcutiantur.

24 In Cõuẽtu Philoſophiæ deputato vnic' erit Lector,

qui Logicam, Moralem, Phyſicam, & Metaphyſicam, nullo tractatu omiſſo, perleget, ſtudebitque, vt quæ ſunt purè Theologica non admiſceat, & quæ ad Theologiam iuuant non omittat: bis autem in die lectionem habebit, per horam cum dimidia, tàm ſerò, quàm manè.

25 Studentes regulariter non vacabunt, aut feriabuntur à ſcholis, niſi ſemel in vnaquaque hebdomada, vbi nullum feſtum occurrerit.

26 Legent quotidiè niſi infirmitate detenti: curabit autem Prior diligenter pro victu & veſtitu illis omnia neceſſaria ſubminiſtrari.

27 Dictabunt Lectores in Diuum Thomam, ſtudebũtque tum breuitati tum perſpicuitati; difficultates ſcholaſticas non leuiter ſed accuratè examinabunt, non tam immorantes, in diuerſorum doctorum authoritatibus congerendis, quam in rationibus examinandis: ipſius D. Thomæ doctrinam, quantùm in ipſis erit, amplectentur, ita vt in eius textu non multùm immorentur, & authorum noſtri ordinis doctrinam commendent, determinationes eorum ſuſtinentes, quantum licet, & præſertim Ioannis Bacconis, Michaëlis de Bononia, & Thomæ Vualdenſis: Regentes verò in Philoſophia ſtudeant Ariſtotelis doctrinam, quantùm fides patietur, edocere.

28 Quilibet Regens in Theologia quotidiè lectionem habebit per horam cum dimidia, ita vt manè vnus, alter ſerò legat.

29 A Choro ſunt exempti, quãdiù actu legũt: diebus tamẽ Solẽnioribus toti officio: reliquis verò feſtis, & carũ vigilijs, maiori miſſę, & veſperis ſolum intereſſe tenebuntur: alternatim quotidianas habebũt repetitiones: & vbi vnus de ſtudentibus aliquid de lectione repetierit, duo argumentabuntur iuxta ordinem pręſcriptum.

30 Itẽ ſerò fiẽt circulares diſputationes, quib' vt plurimũ Lectores adeſſe curabũt, vt emergẽtia dubia diſſoluãt.

CAPVT XXV.

DE ORDINE VITÆ REGVLARIS in Conuentibus ſtudiorum.

1 QVamuis Inſtituti noſtri ratio omnibus Cõuentibus noſtris communis ſit, quia tamen in diuerſis diuerſa ſunt obeũda munera, fieri non poteſt, quin aliqua intercedat diuerſitas in ordine vitę regularis. Ea propter.

2 Decernimus, quod in Conuentibus, qui deinceps Philoſophiæ ac Theologiæ deputabuntur, ſtudentes imprimis horis matutinis, media nocte, regulariter intereſſe teneantur, ſurgentque manè omnes hora conſueta, & per mediam horam mentali orationi ſimul vacabunt, qua finita Primam recitabunt, & Tertiam quando poſtulabit ordo Chori: teneantur etiam omnes miſſæ Conuentuali intereſſe, horâ ſecundâ vel quartâ poſt meridiem, ſecundum varias nationum conſuetudines, dicentur veſperæ, quibus pariter omnes adeſſe tenebuntur: horâ verò ſeptimâ Completorium, & poſt illud orationi mentali ad horam circiter octauam vacabunt.

3 Quinque horis cum dimidia regulariter, & quinque tantùm ante meridiem in Quadrageſima ſignum dabitur ad lectionem matutinam: ad ſerotinam verò hora commodiori nationi, ante, vel poſt veſperas.

4 Regulariter teneantur audito ſigno modeſtè & cum ſilentio ſcholã adire, ſtatim etiã poſt lectionẽ in ſuas cellas modeſtè ſeſe recipere, qui contra fecerint, pœna leui pro prima vice, & ſi aſſueſcant, graui puniantur.

5 Feria quarta exercitationi culparum omnes adsint, vel etiam bis in hebdomada, secundum Prioris dispositionem, sub pœna media.

6 Verborum contentiones, vociferationes, gestus omnes immodestos summopere deuitent, etiam inter disputandum: qui verò inhonestè, vel confusè, vel clamorosè, vel proteruè arguens, vel proponens, vel respondens extiterit, statim ab eo, qui tunc inter eos pręest, corripiatur, & moneatur: qui monitus non abstinuerit ab eiusmodi, pœna media puniatur.

7 Non pręsumant ab vllo actu communi se eximere, etiam prætextu disputationis, vel responsionis, nisi specialiter dispensati: quod si id fecerint, grauiter puniantur; si duxerint in consuetudinem, moneatur R. P. Prouincialis, vt studijs priuentur.

8 Ad publicos actus, qui in vniuersitatibus, aut alibi extra nostra monasteria fiunt, studentes, de Superioris licentia, mitti poterunt disputaturi: imò pro bono communi reipublicæ Christianæ, priuilegijsque religionis cōseruandis, ad actus & ad lecturas publicas in aliquibus vniuersitatibus faciendas: ideóque ea aut alia de causa ad gradus in ijsdem suscipiendos de licentia R. P. Generalis, non sponte, nec proprio marte, sed assensu mandatoque Superiorum coacti fuerint. Sciant tamen eiusmodi oneribus nullum illis priuilegium in religione suffragari, imò munijs omnibus iuxta has Constitutiones & secundum ordinem suę professionis subiacebunt, ad nutum, iuxtaque beneplacitum Superiorum tantùm his vacaturi, non obstante quocunque iuramēto ab illis exacto, & pręstito, quod præstabunt ea mente non cōtraueniendi legibus nostris non obstantibus quibuscunque priuilegijs vniuersitatum Professoribus concessis & cōcedendis.

9 Pręter exercitationes septimanas, ac menstruas, quotannis sub studiorum finem, alternatimque, sub vtroque

Professore, de toto illius anni tractatu fratres à Professoribus designati conclusiones sustinebunt, quibus & Religiosi externi, & alij viri graues interesse poterunt.
10 In alijs Conuentibus per Prouincialem designentur Regentes, qui bis vel ter in hebdomada lectionem habeant de sacra Scriptura, & casibus Conscientię: nolumus autem quod dictét, sed authorem aliquem perlegant, vel tantùm discurrant, dubia proponant, & dissoluant, huicque lectioni teneantur interesse omnes fratres, laicis exceptis, sub pœna graui.
11 In exponendo sacræ Scripturæ contextu, Sanctorum Patrum interpretationes maximè sequantur, nouas eius germaniorem sensum sępe detorquentes non admittant, nec doceant, similiterque in casibus Conscientiæ perlegendis breuiter dubia soluant, communes opiniones in tutiorem partem inclinantes amplectentur.

CAPVT XXVI.

De sigillis & litteris.

1 DEclaramus quatuor esse sigilla ordinis generalia, vnum Comitiorum Generalium, alterum Generalatus officij, Tertium quod Communitatis appellatur, quo vtuntur Vicarij & Præsidẽtes Generales, quartum officij Procuratoris ordinis. Primum satis amplum, & rotundum, continens tres sacras imagines, Dei Genitricis videlicèt sedentis & tenentis filium in brachio sinistro, & sanctorum stantium, eandem Dei Genitricem intuentium, Ioannis Baptistæ ad dexteram, induti breui tunica pellicea, & gestantis altera manu agnum, altera verò Crucem; & Alberti Drepanitę ad sinistrã etiam gestãtis altera manu librum clausum,

altera similiter crucem: habet etiam ad pedes eiusdem Dei Genitricis sex fratres ordinis, tres vtrinque genuflexos, & circa sigillum leguntur hęc verba, sigillum Capituli Generalis ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli.

2 Secundum non minoris magnitudinis, sed oblongum, cótinet solam Sacram imaginem Dei Genitricis sedentis & tenétis filium in brachio dextro, & sub illi⁹ pedibus ad latera duo habētur insignia mobilia, alterū Religionis ad parté dextrā, alterū familiæ Generalis pro tēpore existentis, atque in eorum medio imago Prioris Generalis genuflexi; verba verò, quę ipsum sigillum ambiunt, hęc sunt, sigillum Prioris Generalis ordinis Carmelitarum.

3 Tertium, quod Communitatis dicitur, rotundnm est, & minus prædictis ad medictatem, estque geminatum: nam ex vtraque parte sigillum habetur eiusdem tituli, licèt dissimilis magnitudinis, & diuersi numeri figurarum: nam in maiore tres sacræ imagines insculptæ sunt, Dei Genitricis videlicèt sedentis, coronatæ duodecim stellis supra diadema, & tenentis filium in brachio dextro, & sanctorum stantium, Alberti ad dexteram, & Angeli ad sinistram, cum suis insignibus confessionis & martyrij: in minore sola Dei Genitrix eiusdem formæ continetur, litteræ vtraque sigilla ambientes eędem sunt, videlicèt, sigillum Communitatis Carmelitarum.

4 Quartū est magnitudinis aliquātulum minoris sigillo Prioris Generalis, pariter oblongū, quo vtitur P. Procurator Generalis, cótinens insculptam imaginé Dei Genitricis stātis, filiumq; in dextero brachio gestantis, & duodecim stellis coronatæ, sub cuius pedib⁹ extat luna, & à sinistris imago ipsius Procuratoris genuflexi, cum istis verbis ambientibus, Procuratoris Generalis Carmelitarum.

5 Statuimus quod quęlibet Prouincia sua etiam habeat sigilla, Primum Cómune, quo solùm vti licet in Capitulis

Prouincialibus coram omnib⁹ gremialibus,idque maiori & ſaniori eorum parte concedente,& aſſeruatur cum libro communi Decretorum Prouinciæ, & ſimul cum eo concluditur ſub clauibus Prouincialis & Definitorum, prout dicetur Cap. 16. tertię part. §. 6. & ex diſpoſitione Capituli Prouincialis alicui Priori in arca communi ſui Conuentus traditur cuſtodiendum.
6 Secundum ſigillum officij Prouincialis, quo in agendis vtitur; Tertium eſt Vicarij, ſeu cuſtodis Prouinciæ, quo vti debet abſente Prouinciali à Prouincia; quin etiam eius vſum habet Prouincialis ipſo tēpore Capituli generalis remanens in Prouincia,quia ſuũ per ſocios miſit ad Capitulum pręfatum, ſigillatum ſigillo Communitatis Prouinciæ publicè coram Diffinitoribus in loco in quo reſeruatur, & ſub ſigillo Conuentus in quo ipſum remanere contingeret. Inſuper Prouincialis habeat minus ſigillum, ſuis Epiſtolis ſigillandis accommodatum: horum autem ſigillorum Effigies, figuræ, Inſcriptiones,per Decretũ Capituli Prouincialis declarabũtur.
7 Inſuper ſtatuimus quod in quolibet Conuentu habeatur ſigillũ Cõmunitatis,pro negotijs Cõuent⁹, quod ſeruetur in arca cõmuni, nec aliqua littera ſigilletur præfato ſigillo, niſi maior & ſanior pars aſſentiatur, ſub pœna ſalſariorum; exprimantur autem omnia nomina fratrum, qui conſenſerunt.
8 Quilibet Prior ſeu etiã Vicari⁹ noui loci habebit ſigillum ſui officicij,ſatis magnũ,quo litteras obediētiales,ſeu quaſlibet alias grauioris momenti ſigillare tenebitur.
9 Item mãdamus quod in quolibet Cõuētu habeatur ſigillũ Vicariatus,quo in Prioris abſētia Pręſidēs vtatur in ſigillatione litterarũ,quę aliter ſigillãdæ eſſēt ſigillo Prioris, non tamen ſigillando aliquas à Priore prohibitas.
10 Aliud inſuper ſit ſigillũ minus alijs,quod ſigillũ Epiſtolarũ,pro litteris ſeu Epiſtolis ſigillãdis, vocatur,& quo

omnes mittendæ ſigillabuntur, nulluſque audeat alio ſigillo vti, ſub pœna graui.
11 Item nulli fratres mittant litteras aliquò, niſi priùs videantur à ſuis Prelatis,& licentiam ab eis habeant recipiendi litteras, vel mittendi: poterit tamen omnis ſubditus ſcribere Superiori maiori,& ab eo litteras recipere, quas non tenebitur Prioribus localibus oſtendere.
12 Siquis, cuiuſcunque gradus, vel conditionis ſit, litteras ad ſe directas auſus ſit aperire abſque licentia Prioris localis, pœna graui puniatur.
13 Precipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ omnibus religioſis, Sacriſtę prefertim, Ianitori,ceteriſque officialibus, vt quas receperint litteras,ſiue pro ſe,ſiue pro alijs, tradant quamprimùm Superiori, & ſiquos animaduerterint aliquas recepiſſe litteras, legiſſe, aut miſiſſe, moneant Superiores, ſub pœna inobedientibus debita.
14 Qui ſecretò,ſiue per famulos, aut confidentes, ſeu ſecretas perſonas, litteras ad quoſcunque miſerint, ſine ſcitu Superioris, & qui litteras inuiſibili atramento, ſeu nouis, aut ignotis characteribus exarauerint, vt ſecreta ſua celent Superiori, pœna graui puniantur.
15 Caueant diligentiſſimè noſtri Religioſi, ne ad fratres ſuos, multò minùs ad ſeculares, ſcribant de negotijs, quę Reipublicę ſtatum ſpectant,ſiue de ijs,quæ in vrbe, & regno circumferuntur: & ſiquid, ſiue ad ædificationem, ſiue ad commendationem, de his fuerit neceſſe ſcribere, breuiter & ſapienter fiat.
16 Caueant pariter,ne, pretextu amicitię, & familiaritatis, res futiles, & fabulas narrent in litteris, neque etiã ſcribãt,niſi ad Superiores de regimine Cõuentus, in quo manẽt, aliquos laudãdo,& defect⁹ publicãdo, & qui in hoc fuerit deprehenſus, pœna graui puniatur.
17 Si qui ſcripſerint litteras amatorias, ſiue quæ familiaritatem nimiam, & amicitiam cum mulieribus redo-

leant, licèt etiam pretextu deuotionis, pro grauitate culpæ, ſiue ſuſpicionis puniantur.

18 Teneantur Superiores, omnes, quas receperint litteras aperire, & legere, & ſi videbitur eas retinere: maximè verò ſi res nouas & futiles tantùm narrent, de quibus etiam ſtatim monebunt Priorem fratris ſcribentis, tales litteras; quod ſi eiuſmodi litteræ ſint miſſæ à maiori Superiore, nec debent, nec poſſunt illas aperire, ſed fratri, ad quem mittuntur, conſignare tenentur.

19 Teneantur omnes omnino Religioſi, cuiuſcunque gradus & conditionis exiſtant, litteras, quas aliquò, ſiue ad aliquos mittere volent, deferre ad Superiorem & Epiſtolare ſigillo communi Conuentus eas ſigillare facere, antequàm mittantur, ſub pœna graui.

20 Litteræ, quæ ſigillo Côuentus, ex quo veniũt, non fuerint ſigillatę, ſuſpectæ habeantur, & ſtatim moneatur Superior ſcribentis, vt ſi malitiosè & deceptoriè tales miſiſſe litteras reperiatur, pœna graui puniatur.

21 Nullus frater, ex certa ſcientia, aperiat litteras, vel retineat cuiuſlibet alterius fratris ſibi non ſubditi, ſub pœna grauioris culpæ.


22 Siquis litteras Generali vel Prouinciali miſſas ſciẽter aperuerit, vel detinuerit malitiosè, non ſolũ locũ & vocẽ amittat, verùm etiã ſecũdum grauitatẽ delicti carceri mãcipetur, & eiſdem pœnis grauiter puniatur, qui litteras ab ijſdem miſſas aperuerit, retinuerit, ac celauerit.

23 Statuimus, quòd falſarius cuiuſcunque ſigilli Communitatis, aut officiarij, ſiue in ordine, ſiue extra ordinem, ſi confeſſus, vel conuictus fuerit, carceri mancipetur, quantùm Priori Generali videbitur expedire.

24 Sciant autem noſtri Regulares poteſtatem litteras aperiendi, legendi, aut retinendi, ſolis Generalibus, Prouincialibus, Prioribus localibus, aut in eorum abſentia Vicarijs conuenire, alteri verò nemini.

25 Frequenter Superiores moneant inferiores, & diligenter animaduertant, vt rarò, & non nisi de rebus necessarijs ad se inuicem rescribant, cùm otiosi sit animi indicium eiusmodi nugis tempus terere.

26 Notandum est quod litteræ patentes Superiorum, quoad earum auctoritatem licèt à datis cōputari debeāt: quoad obligationem tamen illis parendi, non ligant nisi à die debitæ præsentationis, vel notificationis.



PARS SECVNDA

PARS SECVNDA

CONSTITVTIONVM CARMELITARVM

DE REGIMINE OECONOMICO SEV DOMESTICO.

CAPVT PRIMVM.

DE OFFICIO PRIORIS LOCALIS.



VONIAM Prioris localis officium eſt, & in ſpiritualibus commiſſi ſibi gregis ſalutem diligenter procurare, cuius rationem in nouiſſimo die Deo iuſto iudici redditurus eſt, nec non eius in temporalibus ſuſcipere adminiſtrationem, ideo.

2 Ordinamus, vt quilibet Prior nouiter inſtitutus in aliquo Conuentu, poſtquam oſtenderit litteras ſui prio-

ratus, antequam quidquam sui officij exequatur, videat inuentaria Conuentus sui prædecessoris, & secundum illa recipiat bona omnia illius Conuentus, in præsentia Custodum, aut sanioris partis Conuentus, sub pœna suspensionis ab officio, ita vt seclusis alijs iustis impedimentis, pro honore & vtilitate Conuentus euidenter necessarijs, si contra præfatam constitutionem venerit ex eius negligentia, vt aliquis fratrum in eum offenderit, iudicamus eum non offendere in Prælatum.

3 Si Prior nouiter institutus non reperiat inuentaria prędecessorum, faciat inuentaria noua coram fratribus Supradictis, & ponantur in arca communi, sub pœna suspensionis ab officij executione.

4 Prioris erit constituere omnes officiarios Conuentus qui non fiunt per Electionem: quos etiam poterit deponere & amouere prout libuerit, aliosque sufficere & substituere.

5 Item illos qui per Electionem facti sunt, ex causa rationabili consiliariis exposita & ab illis approbata suspendere, donec Prouincialis monitus super hoc ordinauerit.

6 Caueat imprimis, ne quæ alicuius momenti suus prædecessor ordinauit, immutet absque licentia Prouincialis, aut quouis modo tacitè aut expresse condemnet, ne mutatio Superiorum, quæ fit ad Ordinis conseruationem, diuersitatem animorum, & in regimine communi inęqualitatem manifestam, religiosis vel etiam sæcularibus hoc pacto indicet; idque sub pœna in visitationibus R. P. Prouincialis infligenda.

7 Rursus quod à Priore præcedente in ædificiis inceptum est, ipse subsequens prosequatur, itaut non possit noua ædificia inchoare si priora non sint finita: neque similiter in eis aliquid immutare absque licentia Prouincialis & de Consilio Architecti sub pœna grauiore.

8 Pręterea Pręlatus nihil innouare aut agere præsumat circa regimen spirituale aut temporale domus, quod grauis sit momenti absque consilio Patrum à consilijs.
9 Inuigilabit, vt disciplina regularis diligenter obseruetur, vt pax & concordia inter fratres vigeat; rixas, contentiones, ęmulationes, si quę acciderent, semper placabit, & ipse imprimis sedulò vacabit orationi, mortificationi, & virtutum omnium praxi, vt præbere se possit ministrum irreprehensibilem & domui suæ bene præpositum.
10 Iuxta Clem. VIII. ordinationem quæ in Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiunijs, capitulo culparum alijsque spiritualibus exercitijs piè ac prudenter sancita sunt, ea omnia & Singula ad vnguem obseruet & obseruari curet, intelligatque super his veluti fundamentis omnium religionum ædificia construenda, quibus collabentibus totum ruat ædificium, necesse est.
11 Communibus actibus chori, Capituli, refectorij, vigilanter intersit, nec aliquid singulare in cellula, in victu aut vestitu habeat.
12 Prior localis semel in qualibet Septimana capitulũ Conuentuale celebrare teneatur sub pœna grauis culpæ, in quo exhortationem habeat de regulæ & constitutionum obseruantia, de disciplina monastica, alijsque spiritualem suorum profectum spectantibus: defectus autem seu culpas fratrum diuisim vel coniunctim audiat, & media charitate corrigat, vt præscribitur in sequenti capitulo.
13 In maioribus autem Conuentibus alio insuper die culpas fratrum audire & corrigere aut exhortationem habere teneatur, ad quod in Prioris absentia Supprior, aut Vicarius similiter obligentur.
14 Vltra exhortationes communes Prior sępe suos magna charitatis significatione subditos alloquatur, & si quos

præter morem ſolitum anxios, triſtes aut timidos coniecerit, dulcedine paterna prçueniat & conſoletur.
15. Potiſſima illius cura ſit circa ſpiritualem ſuorum profectum, qui ſaltem ſemel in menſe priuatim ſuperiorem viſitabunt & alloquentur, de rebus internis, ſuóque ſtatu ſpirituali, rationem reddent, qui negligens fuerit, pœnam grauis culpæ ſubeat.
16. Omnibus ſe çqualiter exhibeat, nec aliquos prç alijs diligat, eo affectu qui foris pateat, mutuam inter omnes foueat charitatem, & animorum vnionem.
17. Fratribus ad ſe accedentibus facilem præbeat aditum more patris illos in Chriſto gignentis: materna etiam circà illos habeat viſcera, nec animarum tantùm, ſed corporum curam gerat, omniáque neceſſaria tam valentibus quàm çgris curet miniſtrari: & ſi in his negligens fuerit, pœna graui puniatur tempore viſitationis, à Prouinciali infligenda.
18. Semel in anno ſpiritualia exercitia per dies decem faciat, & quotannis ab omnibus vota renouari curabit, & maximè circa feſtum commemorationis Beatæ Virginis.
19 Conſuetudines receptas & à Prouinciali approbatas ſeruet & ſeruari faciat, nec nouas inducat, ſine facultate eiuſdem Prouincialis.
20 Quamuis in virtute obedientiæ iubere poſſit, id tamen rariſſimè fiat, & in ſola vrgenti neceſſitate hocque in ſcriptis.
21 Nulla ſupererogationis opera toti communitati poterit imponere, vt generale nouum ieiunium, nouas abſtinentias etiam ad breue tempus, abſque conſenſu Patrum diſcretorum, ſed nec in conſuetis notabiliter diſpenſare ſine authoritate Prouincialis.
23 Cellas fratrum ſæpe viſitet per ſe vel per Suppriorem vt videat an aliquid ibi deſit, vel ſit ſuperfluum, maximè

verò diebus singulis post completorium dato signo silentij, claues conuentus sibi afferri curet, exploretque an omnes ad cellas se receperint, in hoc negligens pœnæ graui subjaceat.

24. Negotijs sęcularibus nunquam ita se implicet, vt curam fratrum suorum negligat sub pœna depositionis ab officio.

25. Communes officinas sæpe perlustret, vt videat an omnes sint suo ordine dispositæ, & officiarij suo fungantur munere: item habere tenebitur claues omnium & singularum officinarum, procuratoriæ etiam & Sacristiæ, ad quas ingredi poterit quando necesse iudicauerit in absentia officiariorum.

26. Item visitandi Monasterij Cameras munus alteri fratri, vt se in multitudine ac negotiorum grauitate subleuet, aliquando sed raro poterit committere, qui frater singulis diebus sibi commissis sero Monasterium perlustrabit, & an omnes portæ Ecclesiæ, claustri, hortorum & cęterarum officinarum clausæ sint sollicitè inspiciat, rationem postea Prælato redditurus.

27. Nulli permittat absque licentia Prouincialis extra terminos sui conuentus, consanguineos etiam parentes inuisere nisi vrgens necessitas id suaderet, nec missam primam extra Conuentus nostros celebrare, sub pœna grauioris culpæ.

28. Nullos studiorum causa pro tempore aliquo longo & notabili poterit à choro eximere, sed ad Generalem aut Prouincialem pertinebit hæc dispensatio, sicut & illorum qui ob habitualem infirmitatem nocturnis horis non possent interesse.

29. Nulli prætendenti habere se exemptionem à Generali vel Prouinciali, credat nisi ipsi in scriptis constet, aut

Generalis vel Prouincialis manifeſtè declarauerit.

30 Inuigilet præcipuè ijs qui cum ſęcularibns ſæpius verſantur, vt in omnibus religiosè & cum ædificatione ſe componant.

31 Pręcipimus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna depoſitionis ab officio, vt poſſeſſiones conuentus ſemel in anno viſitet per ſe, vel per alium, caueatque ſub eadem pœna ne defectu ſuæ ſolicitudinis & prudentię aliquid ex ijs deperdatur.

32 Cùm aliquis per ſex annos aut nouem, Prioris officio functus fuerit, ſaltem per annum vacabit, niſi ad Prouincialatum aſſumeretur: æquum enim eſt, vt à ſuperioris onere tantis per reſpirans obedientiam ipſe ediſcat & alios ſuo exemplo doceat.

33 Demùm quia ſunt nonnulli conuentus in noſtra Religione, à cuiuſcunque Prouincialis iuriſdictione ſoluti, & Reuerendiſſimo Patri Ordinis immediatè ſubiecti, poterit in illis, ſi generalis fuerit abſens, Prior vel Commiſſarius generalis, ſi quis in tali officio fuerit conſtitutus, fratres ibi commorantes pro ſuſcipiendis ordinibus, audiendis confeſſionibus ſæcularium, vel habendis concionibus, ſeruatis ſeruandis, Reuerendis. Ordinariis præſentare.

34 Priores abſoluto ſuó triennio teneantur ſuo ſucceſſori ſeriem benefactorum conuentus tradere, eorum pręſertim qui ſpeciali affectu Ordini noſtro ſunt addicti, cumque de modo cum ipſis conuerſandi, cæteriſque ſeruandis conſuetudinibus, intrà vel extrà conuentum, diligenter commoneat, quas ſucceſſor tenebitur obſeruare, eoſdem amicos & benefactores viſitando, honore & quibus poterit religioſę charitatis officijs præueniendo, vt ſuos religioni conſeruet amicos & benefactores, idemque ſemper eluceat in prædeceſſoribus & ſucceſſoribus religionis ſpiritus.

35 Cùm accedet ad Capitulum vel alia causa mutabitur ab officio, de omnibus bonis Conuentus secundum inuentaria sui introitus habeat reddere rationem custodibus & fratribus & successori suo si fuerit presens, aut Presidenti Conuentus tempore sui recessus vel mutationis, sub pœna suspecti de vitio proprietarij.

36 Item ordinamus quòd quilibet Prior localis iter per aliquos dies suscepturus possit substituere Vicarium pro sui absentia in Conuentu, non obstante quòd ibi sit Subprior per Electionem: quando verò iturus est ad Capitulum Prouinciale, fiat vt dicitur. Cap.34.tertię partis §.3.

Cæterum & si Priores ratione sui muneris domorum quibus prœficiuntur bona temporalia quantùm possunt procurare & augere teneantur, totius tamen Prouinciæ boni communis non negligant augmentum: quare singuli intra suorum Conuentuum terminos verè communitatis amatores à Reuerendissimis Episcopis & Ordinarijs stationes seu Cathedras ad contiones habendas Aduentuum, Quadragesimæ, & Octauarum sanctissimi Sacramenti diligenter impetrare conentur, & de impetratis statim R. Prouincialem moneant, vt commodo tempore habita ratione qualitatis locorum, concionatores idoneos eis assignare possit.

CAPVT II.

De Capitulo Conuentuali.

1 Capitulum Conuentuale qualibet hebdomada per Priorem, aut Suppriorem, aut Vicarium ad minùs semel celebretur vbi excessus fratrum & culpæ

cum diligentia inquirantur & corrigantur, & ieiunio stomacho semper celebretur.

2. Audito per tres vices consequenter ęre vel sonitu campaneo, omnes fratres sine mora ad locum Capituli conueniant, quibus congregatis & genuflexis, post breue silentium, Prælatus vel ille qui præest Capitulo, incipit Antiphonam veni sanctę spiritus, &c. & dicitur ℣. emitte sp. cum oratione Deus qui corda, &c. dato signo, erectis omnibus Præsidens Lectori porrigit Regulam vel Constitutiones ex quibus Capitulum legendum ei indicat; lecturus dicat. Iube domne benedicere & Prælatus subiungat Regularibus disciplinis &c. Respondetur. Amen. Tunc lector præmisso in nomine domini nostri IesuChristi. Amen, perlegat vsque ad signum Præsidentis, sic immediatè dicendo sequitur caput tale Regulæ vel constitutionum fratrum Beatissimę Dei genitricis Mariæ Virginis de Monte Carmeli, quo facto dicat in fine lectionis tu autem &c. ℟. Deo gratias. Deinde detecto capite Pręsidens dicat, benedicite, & Conuentus. Respondeat, Dominus. Quo responso ad signum Prælati sedeant Patres & etiam ipse sedens in aptato sedili prope altare capituli uel oratorij ad latus Euangelij exponat breuiter siquid habet exponendum circa lectionem factam de Regula aut Constitutionibus, aut breui aliquo Sermone Religiosos ad profectum spiritualem, virtutes acquirendas, regularem obseruantiam, pacem & concordiam, aut ad quid simile adhortetur: postea si sint Nouitij, primò se prosternant terram deosculando, deinde genibus flexis dicant culpas à senioribus incipientes hoc modo, Reu. Pater de tali, vel tali culpa in particulari & alijs pluribus quas commisi in choro, Sacristia, Claustro, refectorio, dormitorio, & alijs locis, peto à Deo veniam, à Patribus admonitionem & à te correctionem cum charitate; & ita successiuè dicant omnes nisi aliter ordinet Pręlatus: de cæ-

ſtero, auditis Patrum admonitionibus iubeat, vt erecta teneant capita, moneátque in genere proficere in morum emendationem, diſciplinam regularem, otium vitare, in propoſito ſuę vocationis firmiter ſtare, &c. particulares prout iudicauerit expedire corrigat, eiſque proprios defectus oſtendat, & vt malis inclinationibus extirpandis diligentiùs ac feruentiùs incumbant: dum autē Prælatus alicui particulari loquitur, ille ſtatim inclinet ſe vultumque in terram demittat, poſtea caput erigat vt §. 5. dicetur.

3. Nouitijs poſt hæc egreſſis accedant fratres laici, modo prędicto dicant culpas ſuas, deinde moneantur perſeuerare in deuotione, labore, humilitate, charitate, &c. quibus recedentibus pœnitentijſque pro culparum modo illis iniunctis, cęteri fratres clerici etiam in ſacris conſtituti, ſimul ſuas culpas faciant vt ſuprà, quibus omnibus expeditis, & exeuntibus, patres omnes cuiuſcunque gradus aut conditionis exiſtant, tam conuentuales quàm hoſpites, ſi vocati fuerint, ſimiliter proſtrati terram deoſculentur, & ſtatim ſurgant ac inclinati capite diſcooperto, vultuque in terram demiſſo ſuas item culpas dicāt, Subpriore aut eo abſente ſeniore incipiente: vno verò ſtante & culpas proprias pronunciante cæteri ſedeant: & ſi quos defectus corrigendos in aliquo deprehenderint, venia loquendi obtenta, loquantur, accuſato benignè audiente, & emendationē Deo interiùs promittēte: poſtea ei à Pręlato pœnitentia impoſita, & humiliter acceptata, gratias habeat, terraque deoſculata ad locum ſuum redeat, & Subprior aut eo abſente ſenior generalem faciat accuſationem, vt ſuprà.

4. Capitulum fiat mane eo tempore quo mentalis oratio fieri debet, itaut vltra horam non protrahatur.

5. Frater accuſatus in particulari proſtratus, pugno pectus tundens leuiter, dicat mea culpa, & ad monitionem Præſidentis caput erigat, & genufl&xus libenter audiat: ſi culpabilem non ſe agnoſcat, nihil reſpondeat, nec de ſeipſo defendendo cogitet, memor Chriſti Domini,

qui falsò accuſatus ſiluit, rogatus à Superiore, excuſationem velut coactus proferat: ſi ſecus quis ſe excuſauerit, pœna graui puniatur.

6 Quando fit admonitio de culpa aliqua & nemo determinatè accuſatur, qui ſunt rei petant veniam, dicendo mea culpa, & pœna leui, ſi poſtea culpabiles fuerint reperti, puniantur.

7. Quicumque voluerit alium in Capitulo monere, vno contextu defectus omnes quos deprehenderit dicat, neque vnquam nimis aggrauet aut amplificet.

8. Item Prælatus obſeruet diligenter vt proclamationes ſeu accuſationes fiant cum charitate, humilitate, & ex deſiderio fraternæ correctionis, non verò in ſpiritu occultæ vindictæ, inuidiæ, rancoris, aut nimij, & indiſcreti zeli: non ſint acres & rigidi, non defectus exaggerent, non multis verbis obruant & confundant, ſed ſimplici & humili narratione defectum exponant, eum potiùs excuſando, quàm aggrauando: tum ſi culpatus nihil dicat & ſit alicuius momenti, Superior veritatem ab accuſato petat, ne falſis accuſationibus & impoſitionibus detur occaſio & libertas: & quos in hoc rigidos, & indiſcretos animaduerterit ſuperior, grauiter puniat.

9. De culpis ſolùm ordinarijs & defectibus, non autem de infamantibus huiuſmodi accuſationes fiant: vbi verò aliqua culpa extraordinaria detegeretur, maturiori conſilio à Superiore de remedio prouideatur, non plus quàm tres fratrem vnum accuſent, aut in accuſatum inſurgant.

10. Nullus in Capitulo Superiorem interrumpere aut cum eo loqui niſi iuſſus, & petita impetrataque venia, præſumat ſub pœna graui.

11. Si quis impoſito ſibi ſilentio non ſtatim obedierit, capitulo expellatur, ſitque voce & loco priuatus per menſem.

12. Item si furibundè & irreuerenter, ausu temerario quod absit, quis in Superiorem insurgeret, præcipimus sub pœna priuationis vocis & loci omnibus gremialibus, vt huiusmodi è capitulo expellant pro delicti grauitate puniendum, & pœna ad tempus sedatæ passionis differatur.
13. Vbi de re aliqua fuerit deliberandum, modestè vnusquisque suum suffragium ferat, caueantque tumultum in tam sancta actione & loco.
14. Nulli in Capitulo verbis contendant aut sese inuicem vllo modo lædant, sub pœna expulsionis à Capitulo & priuationis vocis & loci.
15. Item si quis de culpa notabili fuerit conuictus, cui in constitutionibus nulla pœna determinetur, Præsidens Capituli assumptis duobus aut tribus discretioribus Conuentus, de illorum Consilio fratri conuicto pœnitentiam condignam imponat.
16. Item nullus præsumat culpam suam aut alterius in Capitulo vel alibi pertinaciter defendere, sub pœna grauioris culpæ per diem.
17. Item laborante fama alicuius scandali, superior quilibet ad cuius notitiam venerit, habeat veritatem inquirere eo modo quo videbitur expedire, cogendo etiam ad iuramentum præstandum, ad quod omnes fratres volumus adstringi, aut alio modo in pręsentia duorum vel trium proborum fratrum nonobstante absentia diffamati, sed nullo modo procedatur ad punitionem, vsquequo appareat, an talis diffamatus se poterit excusare, legitimè coram illo superiore vel altero, cui vices suas commiserit super hęc.
18. In festis solemnioribus & eorum vigilijs, de culpis ordinariè non agatur nisi in generali, sed fiet à superiore exhortatio de festo ad excitandam fratrum deuotionem & feruorem, dabitque Prior benedictionem seu absolu-

tionem generalem, vt habetur in fine Breuiarij, his scilicet vigilijs, seu solemnitatibns ad summum, natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis, Commemorationis solemnis Beatæ Virginis Mariæ & omnium sanctorum, idque in Capitulo aut refectorio semper ante prandium.

19. Semper in fine Capituli post expletam correptionem, à Patribus Prior inquirat, num habeant aliquid monitu dignum pro meliori domus regimine, & oret, si quid priuatim ad se spectet, vt confidenter ei dicant in cella vel per Patrem Monitorem.

20. In Capitulis maximè circa festa insigniora fiat commendatio benefactorum tam viuorum, quàm mortuorum, Priorque iniungat fratribus vt orent pro S. D. N. Papa pro S. Ecclesiæ Rom. Cardinalibus, & speeialiter pro Eminentissimo Cardinali Protectore nostro, pro RR. Episcopis, præsertim Ordinario, pro Regibus & Principibus, & specialiter pro nostri Regni N. vel status, item pro Reuerendissimo Patre generali, & cæteris Prælatis: & finito Capitulo Prȩsidens dicat, sit nomen Domini benedictum, & sic omnes statim discedentes, ad sua munera pergant obeunda.

21. Si quis secreta Capituli cuiuscunque illa sint, scilicet quȩ Prælatus celánda commiserit, sȩcularibus reuelauerit, sit excommunicatus ipso facto: si autem alijs religiosis alterius Ordinis, careat voce & loco per três menses, & pensato scandalo, pœna grauiori rigidè puniatur.

CAPVT III.

De officio subprioris.

1. STatuimus quòd in quolibet Conuentu, vbi duodecim fratres fuerint professi, aut plures, Subprior per Electionem habeatur, vt dicitur 3. parte c.35.§. 13. vbi verò fuerit minor numerus religiosorum, de Subpriore prouidebit R. P. Prouincialis, & eum nominabit.

2. In Conuentibus tamen maioribus & Conuentibus studiorum & Nouitiatus, per Capitulum Prouinciale Subprior ordinari poterit, demptis reseruatis Priori generali: habeatur autem ratio, vt in prędictis Conuentibus Subprior instituatur ætate & moribus grauis, & eius locus sit vbique in sinistro choro primus, super omnes sacerdotes cuiuscunque conditionis existant: vbi autem actibus regularibus intererunt Priores hospites semper Subpriorem pręcedent, etiamsi absente Priore Conuentus ipse Subprior det signa, & cætera regimen domus spectantia, faciat.

3. In Eligendis Subprioribus ante omnia attendi & spectari volumus magis dotes animi & qualitates, quæ requiruntur ad regimen domus, quàm peritiam cantus, cuius tamen non sit ignarus, cum non rarò contingat Subpriores ex officio, absente Priore, sollicitudinis & administrationis partes implere, & pręsẽte, domesticis oneribus cõmunicare

4. Subprioris officium est curare; vt in choro diuinum officium cum ritibus ab Ecclesia Ordinarioque pręscriptis religiosè persoluatur, quare rarissimè à choro debet abesse, nihil tamen circa Cantum aut Ceremonias alterare aut innouare præsumat, sub pœna graui.

Diebus singulis sabbathi consulto priùs Priore, disponet ordinem diuini officij recitandi, & in tabula officia Conuentus distribuet, curabitque legi in refectorio, & tenebuntur omnes indiscriminatim pręscriptum ab eo ordinem obseruare.

6 In Choro etiam præsente Priore potest defectus corrigere. Item missas cantandas sine illius aut Prioris sçitu nemo recipiat, etiam si sit Sacrista vel Procurator.

7 Subpriori Professi omnes quamtumuis in sacris ordinibus constituti, sint subditi, quos potest & debet monere & arguere: fratres tamen nouitiatus & seminarij, seu professatus, si alius sit institutus magister, numquam.

8 Supprior nec dispensandi nec mutandi aliquid habet potestatem, dum Prior est in Conuentu, nec cellulas potest ingredi nisi iuniorum fratrum sibi subditorum: nunquam tamen de nocte, post datum silentij signum.

9 Peculiarem curam habeat, vt domus munda sit & omnia vbique in Conuentu decenter composita.

10 Curet quantùm poterit Prioris existimationē tueri & cum eo familiariter & confidenter agat, nec vnquam dissidium inter eos deprehendatur.

11 Subprioris est Priorem fideliter adiuuare, murmuratorum, querulosorum & alios turbantium nunquam se exhibeat exceptorem, sed eos, si ab ipso moniti, non se emendauerint, Priori referre.

12 Confessionibus sæcularium audiendis non vacabit, maximè tempore diuini officij.

13 Curabit Subprior in quocunque conuentu vt habeatur tabella in qua describantur ieiunia Ecclesiæ ac Religionis, festa patriæ, dedicatio, titulus, ac festa particularia proprię Ecclesiæ, processiones Conuentus, consuetudines & similia, quæ in vnoquoque conuentu asseruari solent. Item casus S S. D. Papæ & Episcopo reseruati, quę omnia in loco patenti & publico exponantur, sub

pœna graui.

14 Subprior in Prioris absentia regat Conuentum, nisi actualiter Vicarium instituisset: quòd si Vicarius sic institut', à domo abesset, eo ipso Subprior Vicarius manet.

15 In Prioris & Subprioris absentia, habens primam vocem, Conuentum regat, sed nullam det exeundi facultatem, si illa die Prælatus sit rediturus, præterquam Confessarijs & Concionatoribus ad sua munera vocatis.

16 Nec Subprior, nec Vicarius in Prioris absentia poterunt quicquam innouare, sub pœna graui.

17 In Prioris absentia nec Subprior, nec Vicarius litteras ad Priorem per nnncios ordinarios missas legant, nisi ab eo facultatem habuerint: illas tamen quibus in promptu satisfaciendum est pro sæcularibus legere possunt & debent, ascitis vno aut altero è grauioribus.

CAPVT IIII.

DE OFFICIO MAGISTRI Nouitiorum.

1 QVanti sit momenti officium Magistri Nouitiorum, vel ex eo patet, quòd ipsi educatio & instructio credita sit eorum per quos religio conseruanda est & propaganda, quare.

2 Statuimus vt in singulis Ordinis nostri Prouincijs deputetur ad hoc officium vnus è nostris regularibus qui imprimis Sacerdotali ordine sit initiatus, ætate maturus scilicet triginta quinque annorum ad minus, & per decennium à professione emissa in Religione perstiterit sufficienti doctrina preditus: orationis præterea & mortifica-

tionis operibus addictus, cum affabilitate grauis, zelo Dei cum discretione & mansuetudine flagrans, ac ab omni cordis & animi perturbatione alienus, vt eos, qui eius curę subsunt, verbo & exemplo ædificet.

3. Qui his qualitatibus prędītus fuerit, ad dictum officium instituetur per definitorium Capituli Prouincialis, atque per idem ei adiungetur socius ijsdem qualitatibus & moribus pollens, qui in ijs quę ad Nouitiatum spectabunt, dicto Magistro nouitiorum subiectus existet.

4. Ordinamus item, quòd si in aliquo casu extrà Capitulum Prouinciale noua loca Nouitiatus erigi necesse fuerit, tunc prędicti magister & socius per R. P. Prouincialem instituantur de assensu definitorum, idemque seruetur si alterum, aut vtrumque mori, vel causa aliqua pervrgente amoueri contigerit.

5. Nouitiorum magister, & socius per triennium ad minus prædictum onus sustineant: imò si reperti fuerint idonei, diutiùs continuentur, cum prædictorum mutatio vniformitati regiminis & educationi Nouitiorum non parùm officiat.

6. Habebit Nouitiorum Magister plenam authoritatem circà nouitiorum institutionem, itaut nemini, superioribus maioribus & localibus exceptis, quouis prætextu, etiam piæ admonitionis aut exhortationis Nouitios alloqui, instruere, & circà eorum regimen ingerere se possit.

7. Magister Nouitiorum quoad suam personam totaliter subiectus erit Priori, sicut & reliqui inferiores, sed curabit Prior eius authoritatem tueri, maximè coram Nouitijs.

8. Nihil Prior aut Præsidens sine graui causa & Consilio Magistri Nouitiorum circà Nouitios disponat, sed curabit saltem bis in mense, vocato etiam Subpriore, de Nouitiorum regimine & profectu spirituali cum interrogare,

gare, ſimul conferre & conuenire de modis & medijs ad Nouitiorum inſtructionem neceſſarijs,
9. Ad Magiſtrum Nouitiorum pertinet ſuorum Nouitiorum Confeſſiones audire, à ſocio adiuuari, licet tamen ſuperiori etiam locali, Si ita expedire iudicarent, vel per ſeipſum, vel per alium ab eo deputandum, ſemel aut bis in anno eorundem Nouitiorum Confeſſiones audire.
10. Aderit Choro & Communibus actibus quantùm poterit, vt Nouitiorum ſuorũ geſtus & actus intueri poſſit; recreationibus tamen ſeu ambulationibus quotidianis quæ fiunt poſt refectionem, per ſe non tenetur adeſſe, ſed per ſocium vel per aliquem probatum fratrem, quem præficiet, vt Nouitios tunc dirigat.
11. Vltrà Capitulum Conuentuale Prioris, Magiſter Nouitiorum bis vel ter in hebdomada culpas fratrum ſibi ſubditorum audiet, defectus corriget, pœnitentias & mortificationes priuatim & publicè faciendas imponet; de publicis tamen, extraordinarijs per ſe iniunctis pœnitentijs aut mortificationibus præmonebit ſuperiorem Conuentus.
12. Quotidie item ſaltem per mediam horam vel publicè in oratorio, uel priuatim in Cella Nouitijs, hora conuenienti lectionem ſpiritualem faciet, de virtutibus acquirendis & extirpandis vitijs, cæteriſque ad Monaſticam diſciplinam ſpectantibus.
13. Etſi vnum ſit nobis præ cæteris neceſſarium, ſcilicet vacare Deo, omnia tamen ſacræ noſtræ Religionis externa exercitia multùm ſuis Nouitijs commendabit, docebitque qua ratione in Dei ſpiritu facienda: nec enim deuòtionis ſpiritus ab eiuſmodi exercitijs diuidendus, imo intimè coniungendus eſt vt anima corpori.
14. Docebit omnia Religionis officia ęqualiter [illegible]manda, & per meritum ſanctæ obedientiæ alacriter a[illegible]

plectenda, siue quis ad studium, conciones, confessiones, applicetur: siue quis sacristiæ, Procuratoriæ præficiatur: caueatque diligenter ne ab eiusmodi studijs, officijs, & externis occupationibus sub pretextu recollectionis & pietatis eorum mentes & affectus auertat.

15 Sedulam etiam adhibeat curam in eis adiuuandis tempore tentationum, ariditatis, & præcipuè circa difficultates orationis mentalis, & praxim virtutum, curetque vt ordinatè & cum methodo in via Dei procedant: sępe eos visitet, & eorum status tum interni tum externi rationem ab eis recipiat, & in necessarijs citissimè prouideat.

16 Inuigilet vt sordidas aut laceratas non deferant vestes, cum maximè in ipsis apparere debeat munditia, & in habitu Beatæ Virginis candor & puritas: & ideo de omnibus eis commodè à Conuentu prouideatur, & tanquam filij matris lacte nutriantur.

17 Quater in anno ad Prouincialem scribet de statu Nouitiatus, & qnalitate professandorum.

18 De eiusdem Prouincialis authoritate solus Prior cum Nouitiorum magistro, Nouitios quos Religioni nostræ non nouerit idoneos poterunt ad sæculum remittere propter defectus occultos, qui sine scandalo detegi non possunt, nec debent.

19 Tam Nouitiorum Magister quàm socius ab ijs omnibus officijs vt concionandi, Confessiones sæcularium audiendi, & alijs similibus muneribus vacationem habeant quæ nouitiorum curam & regimen impedire valerent.

20 Peculiari cura & Sollicitudine inuigilabit Prior localis, tum super Nouitios, cùm super eorum magistrum, vt animaduertat an deuotè, charitatiuè & ęqualiter se gerat erga omnes: an in vno Ordinis Spiritu eos instruat, an aliquid circà solitam & præscriptam in-

ter nos institutionem Nouitiorum immutet, & cum prædicto Magistro sincerè & confidenter se gerat.

CAPVT V.

De officio Monitoris.

1. QVia plerunque in Religiosis personis euenire solet, vt præ timore aliquo & pudore non audeant suo significare Superiori, quas fortè in animo possunt sustinere ac perferre molestias, vel in corpore labores ac difficultates: Ideo ne quis fratrum plus æquo, quocunque tandem modo, pergrauetur, quantùm fieri potest occurrere volentes.

2. Statuimus vt in quolibet Conuentu vbi fuerit numerus competens, per secreta suffragia gremialium eligatur vnus in Monitorem, vir sapiens, consilio & ætate maturus ac instructus, cuius erit secretò ac confidenter Superiori suggerere infirmitates, angustias, anxietates, quas vel in corpore vel in animo paterentur & verecundarentur per se indicare, vt pro paterno in suos affectu, quid facto opus sit, deinde prospiciat, expresso semper nomine, ne suas obmurmurationes pro alienis querelis aut necessitatibus suggerat.

3. Monitoris erit Epistolas & litteras inferiorum ad maiores Superiores scriptas, cum expressè postulabunt, in Cella Prioris seu secretarij sigillo communire, & propria manu superscriptionem

apponere, deinde transmittere, vt cuique facilior ad Superiorem pateat accessus: si quando verò ad alios pro se vel pro alijs mittere deprehendatur, vterque grauiori pœnę subiaceat.

4 Poterit etiam prædictus Monitor per modum Consilij & simplicis propositionis superiori domus ea exponere, quæ ipse animi sui sententia circà gubernationem domus arbitraretur deficere vel conducere, tam in spiritualibus quàm in temporalibus.

5 Si quando verò in Superiore defectus agnosceret, graues ac notabiles, licebit ei ad maiores deferre sapienter vt maturè prospiciant, nunquam tamen in publico solus vel cum alijs obloquetur, arguet, aut interpellabit.

CAPVT VI.

DE ECCLESIA ET OFFICIO *Sacristæ.*

1 IN quolibet Conuentu, demptis Conuentibus Curiæ Romanæ, per Electionem Prioris & Conuentus Sacrista habeatur, nisi per Capitulum Prouinciale, aut Priorem generalem prouisum fuerit de eodem.

2 Sacrista res Ecclesiasticas mundè & honestè custodiat, & de consensu Prioris ordinet & disponat de rebus Ecclesię parandis & reparandis, & alijs necessarijs pro Sacristia.

3 Videat diligenter ne intra Ecclesiam aliqua inconuenientia & indecentia inueniantur, & vt debita hora portæ Ecclesiæ, manè & vespere & de die secundùm exigentiam locorum claudantur & omnia faciat diligenter,

quæ ad officium sacristæ pertinent.
4 In incessu, vultu, & sermone modestiam seruet & mulieres alloquens demissis oculis quàm breuissimè id faciat, item omnes ad se accedentes cum ædificatione excipiat, Cappam albam præsertim diebus festis, durante maiori missa & vesperis, deferat vel superpelliceum habita ratione locorum vel temporum.
5 Mane Ecclesiam aperiat, serò claudat, missasque incipi curabit pro locorum opportunitate ac finiri secundum Superiorum dispositionem.
6. Eius muneris est pulsare campanas ad omnes horas etiam ad matutinas, nisi alius à Superiore designetur, & circa meridiem aliasque horas, ad salutationem angelicam.
7. Obseruabit, vt tam Sacerdotes, quàm missarum ministri in Ceremonijs sint vniformes, & de defectibus in altari & in Sacristia commissis Superiorem moneat, quotidie omnes Sacerdotes celebrantes sub pœna depositionis ab officio fideliter describat in schedula quam Priori vel præsidenti in refectorio legendam tradat, vt qui cessante impedimento non celebrauerit, corrigatur & puniatur.
8. Vinum Sacrificio missæ paratum bonum sit & merum, eoque ipso die è vase eductum: similiter & aqua & ampullæ sint mundæ & decenter copertæ sub pœna media Sacristæ in his negligenti infligenda.
9. Hostias quantùm fieri poterit candidas & nitidas habeat & rotundas perfectè, tam pro missis, quàm pro Communionibus: Corporalia item è tela, candida, linea, & simplicia, nihil elaborati, aut serico intexti habere statuimus, & cætera ornamenta purissima & mundissima teneat.
10. Quindenis saltem diebus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum habeat renouare, & vas in quo con-

tinetur, sit argenteum, intus optimè deauratum, subque vase sit corporale consecratum & lapis consecratus. Sanctum item oleum ad infirmos vngendos, per eius diligentiam ab Ordinario quotannis habeatur, quod in loco tuto & vase argenteo, minimè tamen vbi residet Sanctissimum Sacramentum: sub pœna graui, asseruabit.

11. Item habeat librum in quo missas celebrandas & ordinem fundationum scribat, & celebratas à non celebratis distinguat: habeat item repertorium seu inuentarium bonorum omnium Sacristiæ & Ecclesiæ, librumque alium in quo notet dies, Mensem, annum, & locum in quo corpus alicuius defuncti siuè religiosi, siuè sęcularis apud nos fuerit sepultum: seruet item librum in quo fratrum & sororum confraternitatis nostræ nomina conscribantur.

12. Missæ & Eleemosinæ ab alijs pro Ecclesia exceptę, statim in manus Sacristæ tradantur, vt de ijs disponat & rationem reddat.

13. Nunquam si fieri potest, nisi ob necessitatem indispensabilem putà sepulturam in die festo occurrentem, duæ aut plures Missæ maiores, vno die cantentur, nisi diebus de quibus in cœremoniali.

14. Exactum silentium procuret Sacrista tam in Ecclesia quàm in Sacristia & locis adiacentibus seruari, caueatque ne quis Sacerdotem indutum alloquatur in altari, aut duo Sacerdotes similiter induti sibi occurrant præsertim in altari, sub pœna leui.

15. Vt silentium exactiùs in Sacristia seruetur, habeatur tabella, in qua sacerdotes celebraturi suo ordine descripti legant, vbi, & pro quo sacrum sint facturi; Ministri item Missarum in eadem tabella describantur.

16. Item in alia tabella tot habeat appensa strophiola

& purificatoria, quot ſunt ſacerdotes in Conuentu ſuperiùs ſcriptis ſingulorum nominibus: habeat etiam pro Diacono, Subdiacono, Acolitis, Ceroferarijs, & ſacerdotibus externis peculiaria ſtrophiola, & ea ſaltem in menſe mutet: manutergia verò piſcinarum ſeu fonticulorum pro Patribus & fratribus ſaltem bis in hebdomada mutet: Item Eccleſiam curet mundari ſemel aut bis per hebdomadam, & aliàs ſi neceſſitas exigat, iuxta ordinem Superioris.

17. Communionem à Sacerdote fieri non permittet ante vel poſt Miſſam, ſed poſt communionem Sacerdotis, caueat ne ornamenta Sacerdotalia lacerata ſint & deſciſſa, nec ea offerat, niſi reſarcita, ſi alia non ſuppetant.

19. Nullos amictus offerat dentelis ſiue reticulis ornatos, & coloribus diſtinctos, aut alio amylo quàm albo illitos.

20. Altarium conſecratorum menſæ ſint ſemper decenter, ſtratę, ornatæ, ac mundæ, tribuſque mappis lineis & mundis coopertæ pręter corporale, quæ etiam habeant coopertorium coriaceum ſeu tapetem, vt à puluere & alijs immunditijs mappæ pręſeruentur.

21. Altaria portatilia Sanctorum reliquijs conſecrata integra ſint non fracta, longitudinis ſaltem vnius pedis cum dimidio, latitudinis vnius pedis, quæ in medio menſæ altaris ita aptè inſerta ſint, vt nonnihil emineant à ſuperficie menſę, quò ſacerdotis tactu poſſint dignoſci.

22. Sit ſollicitus, vt hora competenti & tempore congruo altarium paramenta, prout temporis & feſtorum ratio exigit, mutet, caueatque ne lumen vnquam deſit ante Sanctiſſimum Sacramentum,

neque interdiu neque noctu deficiat.

23. Si quando ritu extraordinario paranda fuerit Ecclesia, nihil inscio & non approbante Superiore aggrediatur: rarò autem & pauca ab externis mutuò accipiat, accepta diligentissimè conseruet, & quàm citissimè restituat.

24. Ordinamus quòd mutuò non accommodentur paramenta aurea aut Serica, & insuper nec Calices, nec reliquiæ, nec Cruces, nec Candelabra, nec vascula vlla aurea seu argentea personis quibuscunque quæ professionis nostræ non fuerint, sub pœna depositionis ab officio, & rebellionis tam Priori, quàm Sacristæ ipso facto incurrendæ, exceptis his qui soliti essent accommodare & sua fratribus nostris: exceptis etiam Ordinis nostri benefactoribus, & concedi nequeant absque consensu gremialium Monasterij.

25. Expensas omnes in cereis,auro,lapillis, & varijs figuris seu tabellis ornandis omnino prohibemus: nulla item vel minima ornamenta emere poterit absque expressa licentia Prælati sub pœna depositionis ab officio & punitionis pro qualitate offensæ.

26. Prouideat diligenter, vt vbi in solemnioribus festis extraordinariè paranda fuerit Ecclesia, omnia sint in primis vesperis festi parata & disposita sub pœna graui: extraordinarij apparatus & ornamenta mediocre pretium non excedant, nec facilè figuræ cereæ, Angelorum aut Sanctorum aliorumque apponantur in altaribus.

26. Solos dumtaxat de extraneis viros graues & decenter indutos,ad Sacrum faciendum admittet, de quorum Sacerdotio & Ordinariorum licentia, ipsi constabit.

28. Pridie quàm habenda sit concio suggestum seu pulpitum ornabit,& scamna disponet iuxta morem loci.

27. Aqua benedicta per Sacristæ diligentiam in Eccle-

ſia nunquam deſit, & ſingulis diebus dominicis ſummo manè eam renouare meminerit.

30. Reliquias quantùm in ſe fuerit, curet honeſtis includi vaſculis & ſeruari, quę inſcripta debent eſſe: Reliquiæ verò in tabellam aliquam ſeparatam relatæ ſint, caüeatque ne manibus à laicis contrectentur, nec temere vel ad quęſtum exponantur: quoties autem exponuntur publicè lumina accendantur & thurificentur: non tamen è ſuis extrahantur loculis: fiat autem earum expoſitio ſolemnioribus diebus, & expoſitis candelæ & lampades præluceant, ſub pœna media.

31. Omnium acceptorum rationem reddet Priori & Clauarijs ſaltem ſemel in Menſe cum Procuratore, nec pręſumat ſub prætextu ornandæ Eccleſię quicquam retinere vel Eleemoſinas in eum finem diuertere, ſed Priorem & clauarios moneat qui iuxta neceſſitatem pro expenſis Eccleſiæ neceſſaria ſubminiſtrabunt, aliter faciens tanquam de proprietate ſuſpectus pro modo culpæ puniatur.

32. Nullus è Sacriſtia quicquam tollere aut accipere ipſo inſcio pręſumat, ſub pœna media pro prima vice.

33. Nunquam ordinariè Confeſſiones ſęcularium audiet, ſed tantùm ſacerdotum & Religioſorum pro opportunitate.

34. Animaduertant noſtri Regulares, licèt cultum diuinæ Majeſtatis ſupremus honos deceat, vitandas tamen Religioſis paupertatem profitentibus, nimias in ornamentis & paramentis Eccleſiæ, tabernaculi, & altaris, exterioribus, expenſas: ideoque nihil in poſterum in vllo Conuentu è noſtris Prouincijs pro paranda Eccleſia coëmatur, ſiue in Calicibus, patenis; pluuialibus, albis, ſuperpelliceis, rochetis, lampadibus, &c. niſi honeſti & moderati pretij: ſi quid verò notabilioris eſſet pretij, nunquam poſſit comparari abſque expreſſa licentia in

ſcriptis R. P. Prouincialis & definitorum ſub pœna depoſitionis Priori & Sacriſtæ, idcirco etiam moneantur benefactores moderata potiùs & magis neceſſaria, quàm magnifica & ſuperflua Eccleſiæ erogare.

CAPVT VII.

De officio diſcretorum ſeu Clauariorum & de Communi cuſtodia bonorum.

1. ORdinamus quòd in quolibetConuentu eligantur tres aut quatuor fratres prudentes & prouidi; Conſiliarij ſeu diſcreti, qui cum Priore aut Prĕſidente in Conuentu bona communitatis pariter cuſtodiant & alia faciant quĕ ad regimen Conuentus & cuſtodiam bonorum communium dignoſcuntur pertinere.

2. Nullus frater poſſit eligi in Clauarium ſeu cuſtodem,niſi ſciat computare , vel computa intelligere & niſi velit & poſſit computis intereſſe , & ſi aliter factum fuerit, mandamus Prioribus qualiter tales deponant , & ad electionem aliorum procedant.

3. Si quando inter Clauarios & gremiales ſuboriantur controuerſiæ, & difficultates, voces explicabuntur , vt dicitur 3. parte cap. 35. §. 14. & maioris partis ac ſanioris ſententia ſcribatur , & vim ſuam ſuam habeat,niſi caſus eſſet quo conſulere opporteret R. P. Prouincialem imò & R. P. Generalem Ordinis ſi rei grauitas id exigeret.

4. Ideò in quolibet Conuentu ſint libri, vel liber in quo ſcribantur deciſiones & decreta Patrum Monaſterij: & poſtquam aliquid faciendum decreuerint in prædinato libro ſcribantur: quæ omnia niſi ſcripta apparebunt, nullius erunt roboris: ſint etiam manibus Patrum munita.

5. Cùm aliqua erunt ſtatuenda, vna die proponantur & altera tractentur & excutiantur, ne res Monaſterij (omiſſa conſideratione) demoliantur. Neque volumus religioſos noſtros rebus propoſitis improuiſè reſpondere, ſed vt tempus habeant, quò ſatisfacere poſſint eorum conſcientiæ.

6. Non tractetur à Clauarijs ſolis aliquid quod communitatis aſſenſum requirat niſi antea habeatur conſenſus gremij Capitularis, & ſi aliquid factum fuerit vel decretum, non recipiatur neque probetur, quoniam illud nullius eſſe momenti decernimus.

7. Item in quolibet Conuentu ſit arca ſiue theca trium clauium, quarum vnam habeat Prior, reliquas duas duo primi cuſtodes, ſeu diſerti electi per Conuentum: tertius verò diſcretus horrei clauem vnam habeat & Prior alteram.

8. Aſſeruetur in arca prædicta liber, ſeu inuentarium omnium bonorum Conuentus, librariæ, Sacriſtiæ, & aliarum rerum notabilium ad communes vſus deſtinatarum, quod præſente Priore & Clauarijs triennij initio & ingreſſus eius in officium in ea reponatur, & annotetur ſub quo Priore, vel diſpenſatore, aut Sacriſta augmentationes earum rerum, vel diminutiones acciderunt, vbi ſit papyrus receptorum & expenſorum: ſicut etiam pecunia Conuentus ſiue in fundum aut cenſus collocanda, ſiue ad communes expenſas aſſumenda cuſtodiatur.

9. Item ſub pœna depoſitionis ab officio tam Prioris quàm Clauariorum, eiſdem Prioribus & Clauarijs præ-

cipimus, vt Clausulas testamentorum & instrumenta rerum comparatarum aut donatarum perpetuò vel ad plures annos sub publicam formam redacta de manibus Notariorum extrahant, & in arca communi reponant, volentes quòd ea quæ sunt ad perpetuum sic donata, vel ad plures annos vel etiam alia quæ debentur, extrà in aliquo libello de pergameno ad hęc specialiter deputato scribantur, vnà cum missis & obligationibus perpetuis. Idem fieri de compositionibus & pactis perpetuis, & quibuscunque obligationibus ordinamus.

10. Item quia docuit experientia multa bona Religionis deperijsse tum ob Priorum incuriam, vel ob aliquorum regularium malitiam, vt aliqua ratione hisce incommodis occurramus, statuimus vt quàm primùm quilibet Prior conficiat inuentarium authenticum omnium stabilium, prædiorum, domorum, legatorum, censuum, & aliorum eiusmodi, cum eorum cohærentijs & debitis personarum, locorum, temporum, causarumque circunstantijs, cuius duo conficiantur exemplaria, quorum alterum maneat in arca trium Clauium, in qua etiam reponantur omnes scripturæ ad dictum Conuentum spectantes, & alterum transmittatur ad R. P. Prouincialem: & ideo volumus vt in qualibet Prouincia in duobus Conuentibus magis commodis construantur duo archiuia communia, vbi sub tribus clauibus per Prouincialem & duos primos definitores custodiendis, conseruentur pręfata singulorum Conuentuum inuentaria & contractuum, fundationum, & cętera exemplaria authentica.

11. Item vt bona Monasteriorum fideliter dispensentur in libris sine fraude describantur expensæ: si quis de bonis communitatis alicui vel sæculari, vel regulari, etiam intra Ordinem ad conciliandam sibi eius beneuolentiam, vel sub quouis alio prætextu particulari præsumpserit quicquam elargiri, & eiusmodi donationem sub ementi-

tis expensis in expositorum libris annotare per se, vel per alium, eius furti absolutio reseruatur Reuerendissimo Patri Ordinis, & extenditur ista reseruatio ad quodlibet furtum de bonis Communitatis à quouis perpetratum quod sit peccatum mortale: & si quando concesserit Reuerendissimus Pater generalis facultatem absoluendi ab isto casu, semper intelligi debet cum onere & obligatione restituendi.

12. Quamuis Procuratoris sit recipere exigenda, tamen in eius absentia Prior aut alius ab eo deputatus poterit recipere imò exigere, sed caueat ne aliquid recipiat infrà Septa loci, nisi duo custodes coniungantur cum eo, vel Prior, aut Subprior associato sibi altero eorumdem: quòd si nullus custodum tunc haberi poterit, accipiat alterum fratrem de Conuentu fide dignum, si oppositum fecerit & nisi hoc infrà biduum custodibus vel Conuentui manifestauerit, vel nisi aliquibus fratribus fide dignis de Conuentu id quod receptum est, notum fecerit, pœnę proprietariorum subiacebit: & sub eadem pœna Prior nullas faciat quictantias sub sigillo officij sui, aut simplici chirographo nisi modo supradicto.

13. Item Ordinamus, quòd in quolibet Conuentu deputetur singulis annis vnus è Patribus qui habeat curam examinandi originalia instrumentorum manibus notariorum, seu per alios confecta, & reducendi omnes & singulas scripturas ad Conuentum pertinentes in formam conuenientem. Et si quæ desunt omnem adhibeat diligentiam vt inueniantur, quæ reponantur in scrinio sub bona custodia ita dispositè & ordinatè, vt facilè inueniri possint, nec sit in potestate cuiuspiam de eiusmodi scripturis, seu instrumentis sine expressa licentia & ipsius custodis cautela ab eiusmodi scrinio quicquam amouere.

14. Item prohibemus, ne aliquis Prior localis vel Procurator, etiam de assensu Clauariorum indebitet Con-

ueutum absque ineuitabili necessitate sine Prioris generalis vel Prouincialis licentia : nec vendat, commutet, vel quouis modo alienet possessiones aut annuos census, vel quamcunque rem immobilem aut mobilem, prætiosam, nonobstante Gregorij XIII. Priuilegio, nostro Ordini concesso, sed seruetur decretum Sacræ Congregationis Concilij sub S.P. N. Vrbano VIII. anno 1624. die 7. Septembris, sub pœnis & censuris in prædicto decreto contentis, & in constitutione Pauli II. quæ incipit, ambitiosè.

15. Inhibemus insuper in virtute sanctæ obedientiæ, ne aliquis Prior, Vicarius, & Clauarij litem vel quęstionem incipiant sine consensu totius communitatis, & R.P. Prouincialis, nisi absque periculo & graui damno vlterius differri non valeret, vt si esset appellatio facienda, vel aliud inchoandum ad causam pertinens, quod differri non posset sine damno aut periculo: tunc enim de assensu Conuentus ea agi poterunt; ita tamen vt statim R. Prouinciali res tota denuncietur sub pœna graui Superiori & assentientibus infligenda.

16. Item ordinamus, quòd de bonis Conuentus nihil possit Prior expendere per se nec per expenditorem in vsum etiam communem Monasterij nisi de consensu discretorum, & etiam totius Conuentus si summa expendenda sit notabilis.

17. Prohibemus sub pœna Proprietariorum ne Prior asseruet vlla bona Conuentus in loco abscondito in Conuentu, siuè extrà, sine scitu saltem duorum custodum, si periculum immineat.

18. Contractibus omnibus siuè venditionis, siuè acquisitionis qui fient de consensu gremialium & clauariorum cuiuscunque Conuentus clausula speciali reseruetur consensus proximi Capituli Prouincialis, ad quod deferentur, ac pręsentabuntur definitorio & Prouincia-

ciali, examinandi, qui si grati habeantur subsignabuntur à R. definitorio, alioquin nullius valoris erunt ac roboris.

19. Ordinamus, quòd Priores locales ac custodes Conuentuum reddant rationem Priori generali & Prouincialibus, & eorum Vicarijs in suis visitationibus, de omnibus receptis & expensis, terminarij etiam quæstores & officiarij Prioribus suis & custodibus rationem reddant cum fuerint requisiti.

20. Declaramus, quòd quoties in his constitutionibus ad aliquid requiritur consensus vel approbatio Conuentus vocalium, seu suffragatorum, aut discretorum Capituli cuiuscunque & similium, mentem nostram esse requiri partem maiorem, nisi aliter proprio loco exprimatur.

CAPVT VIII.

De officio Emptoris & Procuratoris Conuentus.

1. ELigantur in quolibet Conuentu excedente quinque voces, Procurator & expenditor viri maturi & bonæ famæ, capaces & idonei ad procurandum bonum Communitatis, ad honorem Dei & decus Monasterij: nec possit Prior localis officium gerere Procuratoris & expenditoris

nisi interueniret grauis necessitas Prouinciali declarãda.
2 Procuratoris officium est, res temporales conuentus curare & prouentus exigere : emptoris verò, de necessarijs ad victum & vestitũ, iuxta Superioris ordinationem toti Conuentui prouidere.
3 Item prouentus Monasterij quoscunque, est Procuratoris exigere & recipere, & Syngraphas solutionis, quando opus erit, à Priore vel à se subscriptas dare.
4 In arca communi sit liber in quo scribatur pecuniæ summa, tam eius quę remanet, quàm eius quæ extrahitur, & quoties ex ea expenditor recipiet, in libro qui ibi asseruatur tam summam pecunię, quàm diem quo receperit, ipse scribat sub pœna proprietariorum.
5. Expenditori in sua cella non liceat retinere nisi quãtûm necesse est pro sumptibus ordinarijs duarum aut trium hebdomadarum, sed omnis pecunia vndecunque prouenerit, si alicuius sit momenti, in arca communi modo supradicto, asseruetur.
6. Pecunias ad quotidianos sumptus Prior & Clauarij subministrabunt emptori, à quo singulis diebus expensi rationem exigent, ex Codice quem ipse emptor habebit & summam in librum suum referet & per articulos distinguet.
7. Procuratoris & Emptoris iuxta decreta Pontificum distincta debent esse officia : ita vt non vni, sed distinctis Religiosis ea committi debeant.
8. Item prouideat de sanitate fratrum tuenda expenditor, & inuigilet vt cibi, qui apponuntur, sani sint & incorrupti, præcipuè verò in subleuandis infirmis & hospitibus nullam alleget paupertatem : circa hoc negligens pro modo culpę puniatur.
9. Habeant Diarium Procurator & expenditor in quo describant recepta & expensa singulo quoque die, vt sic à Priore & Clauarijs examinata nitidiùs & sine litura

transcri-

tranſcribi poſſint in communi libro Computorum.
10. Singulis menſibus Priori & Clauarijs rationem reddent ſummatim dati & accepti, & ſtatum domus tam ad debita actiua, quàm paſſiua ipſis exponent, & fiant computa in loco communi, vt pulſato vno ictu campanellæ capituli fratres poſſint intereſſe ſi velint.
11. Peculiarem habeat librum Procurator, in quo Monaſterij prouentus & tempora quibus colligendi ſunt, reliquumque totius œconomiæ ſtatum, ad ſucceſſoris inſtructionem deſcribat.
12. Ordinamus prętcrea vt quater in anno, tertio quoque menſe, computa generalia fiant ſeu rationes receptarum & expenſarum, ad quas audiendas vocentur Subprior & Clauarij coram Priore, & omnes fratres Conuentus pulſata ad hoc Campanella intereſſe cogantur, & antequam calculationes approbentur à Præſide, interrogentur omnes & ſinguli, an velint aliquid dicere ſeu in aliquo contradicere pro bono communi Conuentus, quibus auditis, ſi quid dubij remanſerit, quod non potuerit deduci & terminari à maiore & ſaniore parte, cum Clauarijs & Præſidente reſeruetur cum debita nota donec Prouincialis iudicium proferat.
13. Quoad locationes, Contractus, aut debita contrahenda, aut alia alicuius momenti negotia, nihil faciant niſi ex commiſſione Prioris, quem ſedulò monebit, ſicut & Patres diſcretos de inſtantibus negotijs. Item de neceſſarijs Conuentui alimentis vt ſuo tempore quęque prouiſiones vt vinum, triticum, & cætera coemantur.
14. Procurator ſæpius poſſeſſiones & prædia ſi quæ Conuentus habeat, viſitabit: vendere autem nihil poterit ſine Superioris licentia & authoritate ſub pœna grauiori.
15. Curet diligenter in arca trium Clauium inſtrumenta, originalia & titulos quibus conſtat de iure be-

norum quæ à Conuentu possidentur fideliter asseruari, & suis locis ordinari vt faciliùs inueniri possint.
16 Hæc eadem instrumentorum Exemplaria & tituli manu Notarij publici subscripti habeantur & in procuratoris Cella seruentur, vt fidem faciant si aliquando necesse sit ea in iudicio repræsentari.
17. Lites non intendat, aut moueat, aut si aliquando ad hoc cogatur, nunquam in tribunalibus iudicum compareat, nisi in extrema necessitate iudicio Prioris & discretorum probata, sed per sæculares procuratores negotia nostra in publicis iudicijs peragantur.
18. Procurator sicut etiam expenditor quoad Religiosos nihil possunt ordinare & iubere: sed tantùm illorum est agere iuxtà modum & ordinem sibi à Superiore prescriptum.
19. Si quid à Superiore fieret bono Conuentus contrarium vbi modestè eum monuerint, nisi Superior prouideat, rem totam discretis denunciabunt.
20. Horis Cononicis diurnis ac nocturnis, quantùm officij sui ratio patietur, studeant interesse, præcipuè verò orationi mentali.
21. Quantùm fieri poterit in communi dormitorio cellam habeant, licèt negotia in procuratoria peragant.
22. Caueant, ne temporalibus negotijs ita se implicent, vt ab æternis mentem abducant: ideoque semel in anno exercitia spiritualia faciant, & interdum à Priore aliquod tempus ad relaxandum animum, & Deo liberiùs vacandum obtineant.
23. Sæculares verbo & exemplo ædificent, eosque Ordini & sibi beneuolos & amicos acquirant, acquisitos conseruent, & domesticos mansuetè corripiant, & eorum curam suscipiant etiam in spiritualibus.
24. Si quis frater ab eis fortè irrationabiliter aliquid

postulauerit, non spernendo eum contristentur, sed cum humilitate malè petenti denegent, sintque semper memores illius Apostoli pręcepti, qui bene ministrauerint gradum bonum sibi acquirent.

25. Procuratoris & Emptoris officia & personas gerere sit Clericorum: vbi tamen postulauerit necessitas, poterit aliquis è fratribus laïcis spectatæ virtutis & industriæ, in Emptorem à Superiore præfici.

CAPVT IX.

De Secretario Conuentus & Capituli Conuentualis.

1. POst Electionem officiariorum Conuentus instituatur à Priore ex Consilio discretorum, vnus ex locum & vocem habentibus in scribam actuum Capituli Conuentualis, & secretarium Conuentus, qui ad hoc loqui latinè & scribere sciat.

2. Eius erit, quas ei Prior commiserit litteras seu expeditiones conficere & litteras Religiosorum sigillo Epistolari Conuentus sigillare.

3. Sigillum Epistolare Conuentus semper manebit in cubiculo Prioris, illudque nunquam tradet Secretario seruandum in cubiculo proprio, sed omnes litteras cuiuscunque in cubiculo Prioris & in pręsentia eiusdem sigillare tenebitur.

4. Quæcunque Secreta sciuerit vel audiuerit à Priore cautè & fideliter obseruabit, & si quid reuelasse aut aliquas litteras sigillasse absque licentia Prioris deprehensus fuerit, ab officio deponatur, & rigidè puniatur.

5. Eius etiam muneris erit litteras communes confi-

cere, deſcribere & in præſentia Gremialium ſigillare ſi-gillo communi in Archiuio aſſeruato, & ſi aliquando contingat eum à Capitulo abeſſe, & aliquid eſſet deſcribendum, alius ex gremialibus deſignetur à Priore, qui in eius abſentia, eodem munere fungatur.

6. In quolibet Conuentu habeatur liber, in quo ſecretarius deſcribet deciſiones & decreta Patrum Monaſterij, qui in cubiculo Prioris ſeruabitur clauſus, & quem in ſingulis Capitulis ſecum deferet & tradet ſecretario, vt ſi quid decretum, ſcribendum fuerit, in præſentia omnium vocalium deſcribat; & ab ipſo, & duobus ſaltem Clauarijs cum Priore ſignetur, cum annotatione nominum eorum, qui Capitulo aderunt. Vt quæ decernenda & ſcribenda erunt, maturioris Conſilij & roboris exiſtant firmioris, vno die ſemper proponentur, & altero die maturè diſcuſſa & deciſa à maiori & ſaniori parte, velut ab omnibus decreta habeantur & deſcribantur, vt dictum eſt cap. 7. huius partis §. 5.

7. In eo libro debebunt annotari & manu propria ſubſignari à Priore, qui & quo die admiſſi ad Nouitiatum vel profeſſionem, qui habitu ſpoliari & remiſſi, qui ad officia electi, qui Confeſſarij tum ſæcularium, tum Religioſorum inſtituti, qui concionatores eo anno per Aduentum, Quadrageſimam, & annum inſtituti ex Conuentu, quæ circà ceremonias, vel aliquas conſuetudines ex communi conſenſu & licentia Prouincialis mutata, qui contractus Emptionis, venditionis, vel fundationis facti, quæ circà ædificationem vel ruinam ædificiorum ſuſcepta conſilia.

8. In eo ſcribentur qui & quo die è vita deceſſere Religioſi Conuentus, quo loco ſepulti: Item quæcumque alia notabilia, extraordinaria euenerint in Conuentu, & omnia quæ notatu digna, iudicauerint gremiales.

CAPVT X.

De officio Procuratoris communis pro qualibet Prouincia in Curijs supremis.

1. VT nostri Religiosi solitudini consecrati frequentiora pro negotijs itinera & impendia deuitent, Procurator communis in supremis Curijs ac senatibus, à quorum iurisdictionibus in causis temporalibus dicendis, vnius aut plurium aliquarum Prouinciarum nostrarum Conuentus dependent, institui & eligi poterit à R. Patre Prouinciali, & definitoribus cuiuscunque Prouinciæ, quando eis videbitur expedire, vir probus, annis & moribus grauis, & agendis sagax & prudens, longa rerum experientia probatus, cuius tunc officium & conditio talis erit.

2. Manebit in Conuentu nostri Ordinis, si quis in Vrbe adsit, cuiuscunque sit Prouinciæ, vbi tales erunt curiæ supremæ, sub obedientia Patris Prioris localis, ibi existens cum voce & loco, sicut vnus è gremialibus (si sit eiusdem Prouinciæ, aliàs non) Priorique locali quoad suam personam erit subiectus: sed in administratione negotiorum, ipsi ab alijs Conuentibus commissorum, soli R. Patri suo Prouinciali subsit.

3. Nullam causam seu graue negotium suspiciet nisi consulto priùs R. Patre suo Prouinciali: quòd si propter distantiam locorum eum consulendi non adesset tempus,

tunc in rebus arduis Priori locali, adiunctis Consiliarijs Conuentus de suis negotijs communicare poterit, & de eorum assensu & Consilio procedere.

4. Antequam litem aliquam intendat, rem controuersam, quantùm fieri poterit, concordia aut compromissione componere studeat: & si quando lite certandum, semper ad iustam concordiam se paratum ostendat. Curet diligenter vt quæ expedienda, aut alio modo agenda erunt, tutò & solidè fiant: & si qui propterea consulendi sint Aduocati, aut alij curiales periti iuris, maximè idoneos eligat, vt securiùs cum eis deliberare possit.

5. Si in aliquod negotium, aliàs vtile & necessarium suæ Prouinciæ, ita incumberet, vt executioni seu expeditioni alicuius alterius negotij, licèt non ita grauis, ad Conuentum, in quo moratur, spectantis, aliquo modo noceret; tunc dictus Procurator Communis maturè præmonitus à Priore vel Procuratore locali, ab istius negotij studio abstinere tenebitur aliquandiu, nisi adeo res perurgeret, vt in aliud tempus eius executio differri non posset, & moneatur super hoc illius R. Pater Prouincialis.

6. Expressè mandamus Prioribus localibus, vt magno zelo & affectu aliorum Conuentuum negotia tractari & peragi curent, ipseque Procurator Communis omnibus, Conuentuum suæ Prouinciæ, negotijs æquali studio & diligentia incumbere tenebitur: & qui in hoc negligentes vel minùs affecti videbuntur, statim ab officijs deponantur.

7. R. P. Prouincialis seu Capitulum Prouinciale socium assignabit dictoProcuratori, vel assignandum relinquet Priori locali Conuentus vbi est curia, & negotia sunt tractanda, qui curabit vt ipse & Procurator Conuentus mutuò se associent, suaque negotia simul tractent in vrbe, ne Religiosi è Monasterio egrediantur

plures quàm opus ſit.
8. Expenſis Conuentus in quo manebit, omnia tam ipſi quàm ſocio neceſſaria ad victum & veſtitum ſuppeditabuntur, ſub moderata taxatione, ſoluenda per Prouinciam à qua mittitur.
9. Curabit, quantùm fieri poterit dictus Procurator communis officio diuino in Eccleſia intereſſe, ſuaque interdùm ita debebit diſponere negotia ſi poſſit, vt horis & officijs diuinis vacare poſſit.
10. Nullum aliud in Conuentu officium ſuſtinebit, ſed alios in omnibus, quantùm fieri poterit, iuuabit, ſiue confeſſiones audiendo, ſeu ægrotos inuiſendo, & in alijs, in quibus ſe & facilem, & affabilem exhibere debebit.
11. Singulis Capitulis aderit & culpas ſuas dicet, ordinemque ſuæ Profeſſionis in Capitulis, proceſſionibus, & alijs communibus actibus occupabit & non alium: at nullam vt dictum eſt habebit vocem in deciſionibus & Electionibus, niſi ſit eiuſdem Prouinciæ.
12. Pecunias pro expediendis omnibus negotijs ad eum mittent Conuentus, pro quibus lites aut negotia tractat, quarum notabiles ſummas apud ſe retinere non poterit, ſed in arca communi Conuentus ſeruandas tradet.
13. Minores autem ſummas pro ordinarijs expenſis, putà litteris recipiendis aut mittendis, & ſimilibus, vſque ad Summam vnius nummi aurei apud ſe habere poterit, & pro neceſſitate expendere.
14. Inuigilabit Superior vt Religiosè, modeſtè, & prudenter commiſſa ſibi negotia tractet, ipſeque defectus ſuos tum á Superiore ſuo, tum à ſocijs ediſcere & emendare curabit.
15. Librum habeat, in quo omnia, à Prouinciæ Conuentibus, pro eorum negotijs excepta & expenſa deſ-

cribat, quorum omnium rationem reddat suo Prouinciali, in suis visitationibus, assistente, aut saltem attestante socio cum Priore locali Conuentus supremæ Curiæ.

16. Instrumenta, contractus, informationes, litteras, negotia Conuentuum continentes, diligenter (ne quid horum deperdatur) & ordinatè custodiat, & distinctè eorum omnium teneat apud se inuentarium, habeatque propterea Cubiculum claui obseratum, quod tamen solus Prior loci, simili claui aperire & ingredi poterit.

17. In librum referat summam negotiorum, quę ei commendantur, commendantium litteras seruet, & litterarum, quas ipse ad varios Conuentus de negotijs scribit, compendiosum exemplar retineat.

18. Liberam habet facultatem recipiendi & scribendi litteras ad Conuentus, de ijs quæ ad sui officij executionem spectant, quas nec mittendas, nec receptas Priori locali tenetur præsentare: ac propterea sigilli Epistolaris, scutorum Ordinis typum continentis, vsus illi permittitur: Caueat verò ne de alijs rebus ad regimen Monasterij in genere aut in particulari pertinentibus vllo modo scribat, nec de alijs Monasterijs patiatur quemquam ad ipsum scribere, de modo gubernandi Superiorum aut particularium moribus absque expressa licentia Prelati domus: si secus fecisse deprehendatur, ab officio deponatur, rigidiùs puniendus, si ita statuerit Prior Prouincialis.

CAPVT XI.

De Bibliotheca & eius custode.

1. Bibliotheca semper sit clausa & munda: appendatur autem clauis in loco ab ingressuris cognito.
2. Iuxta motum proprium Clementis VIII. anno 1593. pro conseruatione Bibliothecarum Ordinis nostri, declaramus excommunicationem summo Pontifici reseruatam incurrere omnes tam fratres nostros, quàm etiam sæculares & extraneos, qui ex nostris Bibliothecis, pro communi vsu Religiosorum institutis & instituendis amouere vel subtrahere præsumpserint libros & monumenta, siuè impressa, siuè manuscripta, ibi existentia.
3. Liceat tamen fratribus nostris reformatis iuxta has constitutiones ex indulto Pauli V. dato in fauorem Carmelitarum reformatorum obseruantiæ Rhedonensis, libros ad suum vsum ex Bibliotheca in Cellas deferre, modò in communi libello apponatur nomen sumentis, & libri desumpti, quos, postquam vsi fuerint, statim referent in locum proprium, & tertio quoque mense ad minus eos repræsentent Bibliothecario.
4. In omnibus Conuentibus, vbi aderit Bibliotheca, per Priorem ordinetur librariæ custos, quam curabit bis, vel saltem semel in hebdomada verrere, puluerem è libris excutere, & à nimia humiditate præseruare, & tertio quoque mense ad minus eam perlustrare.
5. In Bibliotheca libri omnes eo ordine collocentur, vt pro discrimine scientiarum sint diuersi loci & Ordines,

proprio titulo inscripti, & ne dum extrahuntur aliqui, alij collabentes deformentur, in locum libri assumpti, sufficiatur vnus ex puluillis ad id designatis.

6. Habeat Bibliothecæ custos inuentarium omnium librorum diuersarum facultatum, authoribus ordine Alphabetico distributis; nec vlli liceat, etiam Superioribus libros de nouo emptos, aut dono comparatos, in cella retinere, aut ijs vti, nisi priùs in prædicto inuentario fuerint inserti, sub pœna grauis culpæ.

7. Curabit item vt atramentum, Charta, Calami, & cætera ad scribendum necessaria, in Bibliotheca semper habeantur, quæ nemini inde licebit extrahere sub pœna media.

8. Singuli libri proprijs titulis exteriùs, & nomine Conuentus interiùs inscribantur, vt ad alios Conuentus non transferantur: & si translati fuerint, quamprimùm restituantur.

9. Nullus in libris notam faciat permanentem, nec folia reduplicet.

10. Si quis ex fratribus librum aliquem, licèt pro breuissimo tempore acceperit, in tabula ad hoc destinata describat, sed pœna media.

11. Si quis contra prohibitionem Superioris librum aliquem tenuerit, vel ab eo inquisitus non reuelauerit, tanquam proprietarius puniatur.

12. Si quis ausus fuerit librum aliquem discindere, aut ex eo quaterniones extrahere, eum declaramus reum furti secundùm libri valorem, & pœna proprietariorum irremissibiliter puniendum.

13. Solis Patribus & fratribus, qui Philosophiæ vel Theologiæ student, aut studuerunt, liceat Bibliothecam ingredi: cæteris fratribus, non nisi de licentia Superioris.

14. Nullus ex prohibitis aut prohibendis libris & authoribus in Bibliotheca habeatur, & multò minus in ca-

meris fratrum , nisi ad id habeatur licentia Sanctissimi aut aliorum,ad quos spectabit;& tunc recludatur in arca, cuius clauem solus Superior habeat.

15. Si quis ex licentia Superioris externum aliquem in Bibliothecam introduxerit,ibi curet semper adesse custodem,vel aliquem ex patribus à Superiore designatum.

16. Si qui libri, fratrum vsui forent inutiles, aut quidam ex eis essent duplicati, de licentia Prioris generalis, aut etiam Prouincialis, ad postulationem Conuentus vendi poterunt:ita tamen vt pretium venditorum absque diminutione in alios libros vtiles conuertatur , sub pœna priuationis vocis & loci Priori & discretis, nisi aliter ordinauerit Prouincialis ,& in vsus aliorum Conuentuum pauperum applicauerit , vt capite de paupertate dictum est.

17. Bis aut saltem semel quoque anno teneatur Bibliothecę custos, omnes ex ea libros extractos in Bibliothecam referre , eosque ordinatè collocare, vt ita collocatis & dispositis , coram Priore examinetur inuentarium, & attentè circunspiciatur, ne aliqua volumina, incuria custodis , sint deperdita , sub pœna priuationis ab officio.

CAPVT XII.

De Janitore.

1. CONuentus clausura perpetuò , & diligenter seruetur ac propterea Ianitor ætate & moribus maturus per Priorem instituatur , qui nomina omnium Patrum & Fratrum in Ianitoris oratorio quod semper cōmodiori loco construatur prope portã habeat descripta,

2. Festinus accedat ad ianuam vbi tintinnabulum pulsari audierit, & per fenestellam, quæ semper debet esse in ostio, antequam aperiat, personam pulsantis inspiciat: prandij verò tempore aduenientes expediat, nisi personarum qualitas aliter exposcat.

3. In vocandis fratribus ad portam aut Ecclesiam accuratè modum seruet, qui à Prelato fuerit ordinatus.

4. Verbo & exemplo externos ędificare curet, & cum mulieribus parcus sit in sermone.

5. Neminem in particulari accerseat, nisi de expressa facultate Superioris, excepto Procuratore & Confessarijs ordinarijs, quando vocantur ad audiendas confessiones in Ecclesijs nostris.

6. Nemini sinè socio exeunti ianuam aperiat, exceptis fratribus laïcis, qui ad emenda necessaria pro Conuentu mitti consueuerunt, sub pœna graui.

7. Inuigilet, vt fratres è Conuentu exeuntes nomen suum ex tabella Ianitoris extrahant, & in reditu reponant: nec aliter quàm per communem, & publicam Ianuam ab ipso ianitore aperiendam egredi aut regredi liceat sub pœna media, præmissa semper in oratorio breui oratione, & in egressu, & in reditu.

8. Litteras omnes ad quemcunque missas immediatè ad Superiorem deferat, vel in loco secreto seruet, donec eas reddiderit, sub pœna graui.

9. Nulla nuntia à nostris ad extraneos, aut ab extraneis ad nostros deferat, nisi de voluntate Superioris ei constet, sub eadem pœna.

10. Pratellum, Claustra, & loca portæ vicina per eum accuratè mundentur, & pijs imaginibus & picturis passim insigniantur.

11. Caueat, ne claues in porta aut loco omnibus obdio relinquat, & clausis sedulò omnibus ianuis, eas hora sibi designata ad cellam Superioris deferat.

12. Hoſpites in Conuentum ingreſſos in cella Ianitoris vel clauſtris, aut Eccleſia rogabit immorari, donec monuerit Superiorem.
13. Si quæ perſona excellens & grauis Conuentum ingrediatur, quæ neminem in particulari poſtulauerit, Superiorem moneat, qui vt viſum fuerit, prudenter prouideat: ſi verò Superiorem, aut quemlibet abſentem petierit, nomen eius in charta notetur, vt redeunti ſtatim denuntietur.
14. Eleemoſinas omnes, quæ in Conuentum ad ipſum deferuntur, in particulari libro ſcribat, quem ſingulis diebus Sabbathi ad Superiorem, videndum deferre teneatur.
15. Pauperes ad Ianuam accedentes benignè excipiat, & in Eleemoſina eroganda, iuxta ſibi præſcriptum à Superiore ordinem cum illis ſe gerat ſumma charitate.
16. Nihil à quoquam ſæculari cuſtodiendum & aſſeruandum in Conuentu abſque Superioris facultate recipiat, ſub pœna graui.
17. Sit ſollicitus, vt quoties medicus domum ingreditur, det Campanæ ſeu Cymbali ſignum, ad quod conueniant, quibus adeſſe incumbet.
18. Librum habeat, in quo notet diligenter ingreſſum & egreſſum fratrum aduentantium & recedentium à Conuentu, tam hoſpitum, quàm Conuentualium.
19. Si quos è noſtris cum ſæcularibus nimium temporis impendere animaduertat, Superiorem moneat: quod item facere teneatur, ſi quem cum mulieribus quibuſcunque familiariùs conuerſantem cerneret.
20. Durante recreatione poſt prandium aut Cœnam ad ea loca, in quæ conueniunt fratres, ſæculares non introducat, viaſque omnes & ianuas, quæ ad interiora domus perducunt, curet quibuſlibet externis ſemper claudi ſub pœna leui.

21. Nullus cellam Ianitoris absque necessitate ingrediatur, nec ibi liceat confabulari, aut inde quicquam inscio Ianitore extrahere, sub pœna media.

CAPVT XIII.

De Custode vestium.

1. OMnia fratrum indumenta studiosè & decenter asseruabit, & mundari curabit, exceptis mensæ linteaminibus.
2. Maximam adhibeat diligentiam, vt fratrum indumenta semper sint honesta & munda; si quos autem in conseruandis vestibus negligentiores deprehenderit, Superiorem moneat.
3. Tunicas interiores laneas cum femoralibus lineis per qnindenas saltem distribuet, vel frequentiùs si opus sit.
4. Interiores tunicas & tybialia lanea peculiari cuiusque fratris nota, seu charactere distinguat, & ea ipsa, non alia, vnicuique distribuat.
5. In peculiari libro notabit, si quæ noua indumenta fratribus dispensauerit, quem librum singulis quibusque mensibus ad Superiorem deferet.
6. Omnia indumenta sibi commissa Sartori resarcienda, & ab eo resarcita data & reddita per numerum recipiat.
7. Mundabit bis aut ter in anno cappas albas & linteamina lanea Cellularum: per quindenas autem tunicellas ac tybialia lixiuio mundabit & distribuet, quæ mox Religiosi induent, & sordida in locum destinatum defe-

rent, notata charactere ſeu numero Cubiculi, & qui in hoc negligentes fuerint, pœna media corrigantur.

8. Inuentarium omnium indumentorum habeat, & veſtes ſæculares Nouitiorum in aliquo ſecretiori loco cum inſcriptione nominis cuiuſque Nouitij reponat, & aliquando vento & auræ exponet, donec emiſerint profeſſionem.

9 Fratrum abſentium tãtùm Cellas ingredietur, mundabit, & lectiſternia cum ſtraminibus, vbi opus fuerit, ventilabit & in aliquo loco, pro aduentantium neceſſitate, vbi mundata fuerint, reſeruabit.

10 Camiſeas lineas nulli vnquam niſi infirmis, & de expreſſa Superioris facultate concedat, ſub pœna graui.

CAPVT XIV.

De Sartore & Sutore.

1 ORdinamus, vt in omnibus Conuentibus ſint communes officinę Sartoris & Sutoris, & per fratres laicos in arte peritos prædicta officia exerceantur.

2 Officij Sartoris eſt ſcire artem ſcindendi & ſuendi in pannis, & cognoſcendi pannos: ſutoris uerò officium eſt facere ſotulares, ſeu calceos, & aptè ſuere in corio.

3 Quilibet horum libellum habeat in quo ſcribet, vel ſcribi curabit pannos, coria &c. quæ ad ſuam artem ſpectant, notabitque diem quo aliqua noua receperit, aut dederit, & quorum vſibus fuerint deputata: ideò habeant in ſuis officinis formas aliquas, vel exemplaria de

pergameno, aut alia materia, pro caputijs, scapularibus, manicis; pro solcis, crepidis, & similibus, vt vniformiter & modo Religioso ad illa exemplaria faciant vniuersa, & fiant in competenti mensura, secundùm formam in his constitutionibus descriptam, & non aliter, sub pœna graui.

4. Laceratas fratrum vestes Sartor resarcire curet: quòd si cappæ fuerint sordibus maculatæ, custodi vestium lauandas & mundandas tradet.

5. Vbi nouos pannos, aut coria emerint, aut noua vestimenta, vel calceamenta fecerint, in suis libellis notabunt, & ad cellam Superioris diebus Sabathi ante vesperas deferent.

6. Si quis nouo vestimento aut calceamento indiguerit, prædictos fratres super hoc non molestet, nisi priùs à Superiore facultatem habuerit, qui pro Conuentus paupertate prouidebit.

7. Quotiescunque vestium Custos tunicas Sartori commiserit, eas quamprimum resarcire teneatur.

8. Prædictæ officinę claue sint obseratę, quæ remaneat apud prædictos officiarios.

9. Nemini liceat quicquam ex prędictis officinis asportare, nisi custodes monuerit.

10. Ad prædictas officinas nullus accedat, nisi pro quærendis sibi necessarijs: & vbi ingressus fuerit, post precacatiunculam, id est breuem orationem, vtpote salutationem Angelicam, quæ semper ad ingressum cuiusque cameræ persolui debet, fratribus ibi laborantibus aliquid ex libro pio legat. nec liceat ibi confabulari sub pœna media.

CAPVT

CAPVT XV.

De officio Refectoriarij & Ministri Culinæ.

1 OFficium Refectoriarij est, res ad victum necessarias seruare, vini, & omnium, quæ ad potum pertinent, habere custodiam, & iuxta Superioris ordinem distribuere, cauere item ne corrumpantur.

2. Refectorij curam habeat, & omnia, quæ mensæ deseruiunt, eius opera sint semper mundissima.

3. Aduertat ne aqua manibus abluendis in aquario, aut manutergia extergendis vnquam desint: bis in hebdomada prædicta manutergia mutet, & alia Sacerdotibus, alia fratribus appendat.

4. Mappæ singulis hebdomadis mundæ; mantilia autem quæ singula singulis dantur, si fieri potest, bis in hebdomada munda ponantur.

5. Omnia refectorij linteamina lotori mundanda dabit, & accipiet numerata.

6. In refectorio omnia parata habeat, vt cum signum ad refectorium dabitur, nihil præter obsonia & fercula supersit ministrandum: ea autem quæ ad potum pertinent, recenter ante prædictum signum apponet.

7. Catalogum habeat, in quo fratrum mensæ accumbentium nomina suo quoque ordine describentur, & vniuscuiusque mantile, superinducto certo charactere distinguat.

8. Absoluta refectione fenestras refectorij aperiat, & si opus sit, illud mundet: quòd si quis in secunda mensa silentium frangeret, Superiorem moneat.

9. Cellam vinariam sæpe debet vestigare, & perlustrare, & cùm candela dolia circuire, ne effusionis periculum immineat, & eius negligentia vinum pereat & diffluat.

10. Euacuatis dolijs debet ea diligenter mundare, & in loco apto, ne putrefiant, aut corrumpantur, reponere.

11. In Cellariam non intrent extranei, nisi fratrum sint valdè familiares, & illi raiò ac necessitate cogente tantùm: nec in officina refectoriarij vllus comedat, aut bibat, sub pœna media.

12. Ipsius similiter est, ne corrumpantur vina, frequenter ea tentare, & quæ meliùs & diutiùs seruari possunt, vt secundum ordinationem Prælati aut Procuratoris, quæ pro loco sunt ministranda, ministret.

13. Inuentarium habeat omnium vtensilium sibi creditorum: librum autem alium in quo scribi curet ea, quæ pro suo officio de nouo emuntur, vt oleum, butyrum, & alia ab emptore sibi consignata, quem librum saltem singulis mensibus ad Superiorem deferet sub pœna media.

14. Bis in hebdomada, diebus scilicet Dominica & Iouis mane ad cellas fratrum strophiola deferat, pro obsoletis munda repensurus, nisi custodi vestium aut alteri, eiusmodi à Superiore commissa fuerit cura.

15. Caueat ne in officinis, hospitio, aut infirmitorio superfluè vinum ministretur.

16. Si vinum nimiùm corrumpatur, non est amplius fratribus dandum; nec cum meliori miscendum, sed quid de ea sit faciendum, discat à Priore.

17. Minister Culinæ habeat industriam in parandis cibis honestè & mundè, sit discretus in dispensando, & prudens in prouidendo, patiens ac pacificus, & in omnibus quæ ad suum officium pertinent, sit diligens.

18. Curam habeat scutellas, vascula, & cætera vtensilia ad culinam necessaria custodiendi & mundandi.

19. Habeat libellum, in quo scriptæ sint res omnes, quarum est vsus in culina; alium autem in quo scribi curabit expensas quotidianas in emptione eduliorum pro culina, quem librum singulis sabathis Superiori videndum porriget, sub pœna media.

20. Nihil singulariter pro aliquo præparet, exceptis infirmis, nec alium parare sinat in culina, sine expressa Superioris facultate sub pœna graui.

21. Tempestiuè pulmenta, fercula, cęteraque solita cibaria, circa horam comestionis parata semper teneat, ne sua negligentia ordo & tempus in regularitate immutentur.

22. Prouideat ne vnquam aut putrida, aut corrupta cibaria, vel minùs cocta fratribus dentur.

23. Cùm ei à Prælato iniungetur, vt aliquid aliud paret pro hospitibus aut infirmis, quàm quod communiter pro Conuentu paratur, det operam debito tempore, ne in hoc defectus committat.

24. Meminerit paupertatis quam profitemur, nec plura ligna comburat, quàm sint necessaria: caueat tamen ne sub pretextu paupertatis corruptos aut inconditos cibos fratribus apponat.

25. Nullus Religiosus culinam ingrediatur sine necessitate, nec ibi comedat, bibat, aut loquatur, aut quicquam ex ea extrahat, sub pœna media.

26. Curet Superior fratrem Culinæ deputatum subleuare, nec diutiùs quàm per annum in prædicto

officio consequenter continuare, nisi vltro ipse suscipiat.

27. Cæterùm curet prædictus frater verbo & exemplo ædificare, quos habuerit adiutores, & beatum se reputet, quòd Christo Domino in electis suis membris inseruiat.

CAPVT XVI.

De valetudinario, infirmis, & infirmorum custode.

1. Valetudinarium cum capella in singulis Conuentibus, certo & salubriori loco, constituatur: quod pro loci situ, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum sit, in quo fratres nostri omnes, tàm eiusdem Prouinciæ quàm alij, qui ægrotabunt, curentur; nec indę nisi recuperata sanitate abire permittantur, expensæ tamen pro infirmitatibus Prouincialis & eius socij, à tota Prouincia repetantur: pro infirmitatibus autém Generalis, ac Procuratoris generalis, ab vniuerso ordine.

2. Curæ infirmorum per Superiorem præficiatur frater aliquis charitate præditus & industria, vt infirmis in omnibus necessarijs benignè subueniat.

3. Prior ipse fratres decumbentes maternis visceribus visitet, aut impeditus illud officium committat, & attendat diligenter, qua charitate illis inseruiatur.

4. Tam ipse Prior quàm Procurator omnia à Medicis præscripta ad victum, & medicamenta administrari pro-

uidebunt, nullam allegantes indigentiam, aut excuſationem in contrarium.
5. In omnibus quæ ad ſanitatem recuperandam pertinent, infirmi obediant infirmario tanquam Superiori, necnon etiam Medicis & Pharmacopolis, & Chirurgis.
6. Curet infirmarius, vt in infirmitorio omnia ſint munda & decenter compoſita, præcipuè verò linteamina Menſæ cautè diſtinguat ab ijs, quæ ſudoribus infirmorum extergendis, alijſque neceſſitatibus inſeruiunt.
7. Librum habeat, in quo ſcribat diem, quo fratres ingreſſi fuerint infirmitorium, quot & quales, tam medicinas, quàm Phlebotomias exceperint, quo medico, & quo Pharmacopola vſi fuerint; & ſi dono dentur medicamenta, à quonam fuerint data.
8. Si morbus fuerit contagioſus, caueat ne vllus quicquam incommodi ex hoc capiat, & quæ circa ægrotantem ſuppellex applicabitur, ne cuiquam noceat, ſeparetur.
9. Ingraueſcente morbo Superiorem moneat, vt ægrotus, antequam iudicij vſu priuetur, omnia Sacramenta ſuſcipiat.
10. Quandiu in infirmitorio remanent infirmi ſingulis diebus, quibus horas Canonicas, grauati morbo, non poterunt recitare, tunc ſi ſuſtinere poſſunt, dicantur coram eis ab aliquo vna cum Miſſa ſicca prout habetur in Ceremoniali, & Dominicis aut alio die commodiori in Septimana ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedant, ſi lecto non decumbant, niſi cum aliquo diſpenſandum iudicauerit Superior.
11. Lecto autem decumbentibus per aliquem fratrem deputatum à Prælato, quantùm pro reuerentia tanti Sacramenti licebit, non per modum viatici adminiſtrabitur aliquoties, tribus tamen aut quatuor fratribus Sacerdotem cũ lumine, & cæteris neceſſarijs, comitantibus.

12. Curent similiter de licentia Superioris, aut infirmarij Missam audire quotidie.

13. Inquirat frequenter infirmorum custos à Superiore quosnam è fratribus ad infirmorum consolationem, & conualescentium recreationem vocare debeat, ea semper lege, vt visitantes, dato silentij signo, illico recedant, & tam infirmi quàm infirmarij circà horam nonam decumbant, nisi vrgeat morbi necessitas.

14. Infirmos visitaturi, præmissa ante oratorium, seu cubitale breui oratione, & attenta morbi grauitate, sumant aquam benedictam, infirmum aspergant, ac piè & Religiosè consolentur, quantùm custos permiserit, & non vltra.

15. In Camera infirmorum Religiosa modestia exactè seruetur: licebit tamen infirmorum animos pia aliqua recreatione releuare, tum Sermone, tum actione aliqua, modò non sit violenta & tumultuosa.

16. Nemini liceat, dempto Custode, & ijs quos habebit adiutores, in infirmitorio comedere absque Superioris facultate sub pœna media: nulli etiam valetudinarium adire, & infirmos visitare absque Superioris licentia, sub pœna leui.

17. Initio refectionis & in fine, cùm ad mensam assident fiat breuis lectio libri alicuius pij, quam qui aderunt, facere teneantur: incipit autem iunior.

18. Qui ex Superioris ordinatione ad infirmorum consolationem in infirmitorio refectionem sument, caueant ne infirmario sint onerosi, quin potius eum iuuent, quantùm poterunt.

19. Diebus Mercurij vsus carnium non concedatur in valetudinario, nisi ægrotantibus, sub pœna graui.

20. Nullus fratrum loquatur cum medico, aut ab eo postulet viuendi regimen, nec à Pharmacopola aut Chirurgo vlla medicamenta, absque expressa Superioris fa-

fultate, sub pœna graui.
21. Si quando de Consilio Medici pro Sanitate alicuius fratris recuperanda mutandus sit locus, Prior fratris infirmantis præmoneat Superiorem Domus, ad quam vellet prædictum fratrem mittere, & tunc eum mittet sumptibus Conuentus, à quo recedit, in itinere persoluendis: in Conuentu autem, in quem mittetur, summa charitate excipiatur.
22. In domibus sæcularium, etiam consanguineorum, non curentur ægri fratres nostri; neque conualescant, nisi adeo grauis instet necessitas, vt iuxta Consilium medicorum cœlum mutari debeat: quo in casu rarissimo, solummodò frater aliquis de assensu Prioris ac Patrum à Consilijs extra Monasterium mitti poterit.
23. Cæterùm meminerint fratres nostri infirmi, siquid eis defuerit, se Christi paupertatem spontè quæsijsse, nolintque sibi quasi opulentes sęculi omnia ministrari, ne meriti augmento, & exercendæ patientiæ occasione priuentur.
24. Conualescentibus infirmis & debilibus, quibus è lecto surgere, & extra valetudinarium ambulare ex præscripto medici licet, paretur mensa in refectorio à cæteris distincta, cui accumbentibus tempore refectionis, cura & diligentia Prælati aut Procuratoris, necessaria ad victum ministrentur: ita tamen vt diebus, quibus alij in refectorio abstinent, & eis ratione infirmitatis aut debilitatis esus carnis permittitur, ipsis ad infirmitorium accedere sit licitum.
25. In morbis subitis & grauibus fratres infirmitorium intrantes, quamprimùm Sacramentaliter confiteantur, & Sacram Eucharistiam, si tunc exigat necessitas, recipiant: & qui eos tunc visitant, semper de rebus pijs & serijs colloquantur.
26. Vbi quis fratrum fuerit morti proximus, curet

Prior ipsi semper adesse aliquem, qui infirmum in spiritu valeat confortare & consolari, illum orationibus Conuentus peculiariter commendabit, idque eò magis, quò morti propinquiorem viderit.

27. Vbi defunctus fuerit, abluto corpore, si necesse sit, duo per vices à Priore fratres deputentur, qui prope defuncti corpus orent, & psalterium successiuè repetant.

28. Cæterùm hoc eximiæ charitatis officium studeat Infirmarius summo affectu adimplere, molestias item & difficultates, quæ in curandis Infirmis accidunt non tantùm patienter, sed & gaudenter ferre, ab eo, qui dixit, Infirmus eram & visitastis me, copiosam recepturus mercedem, præcipuam verò curam adhibeat Superior, vt nullo modo pro medendis Infirmis desint necessaria quacunque sint via aut pretio comparanda, quod per meritum Sanctæ obedientiæ, & sub grauissimis pœnis iniungimus.

CAPVT XVII.

De Fratribus decedentibus & suffragijs pro ijsdem faciendis.

1. STatuimus, quòd Prior localis obitum cuiuscunque Fratris in suo Conuentu decedentis, omni festinatione Priori Prouinciali denuntiet, sub pœna grauis culpæ infligenda; & Prior Prouincialis per omnes Conuentus suæ Prouinciæ, eius mortem indilatè denuntiare faciat, vt pro mortuo fiant per omnes Conuen-

tus suffragia infra scripta. Nempe pro vnoquoque fratre defuncto illius Prouinciæ cantetur totum officium defunctorum, cum Vesperis & laudibus, ac Missa in singulis Conuentibus Prouinciæ, quàmprimùm eius obitus fuerit denunciatus, & quilibet Sacerdos per totam Prouinciam dicat vnam Missam, & quilibet aliorum Fratrum Clericorum, vnum nocturnum psalterij: & quilibet frater laïcus, triginta Pater noster, & Aue Maria.

2. Item ordinamus, quòd pro Priore Generali & eius socijs fiat per totum Ordinem, sicut pro fratre cuiuslibet Prouinciæ debitum exequiarum, & similiter pro Procuratore Ordinis quando decesserit, Item etiam pro illis qui in dictis officijs generalatus & Procuratoris generalis extiterunt: & idem fiat de Prouincialibus, & eorum socijs decedentibus, eundo ad generale Capitulum, vel redeundo ab eodem.

3. Item ordinamus, quòd quicunque positi in officijs extra suas Prouincias, etiam studentes decedunt ibidem, eadem beneficia Missarum & officiorum de suis Prouincijs, vnde sunt oriundi, recipiant, ac si ibi commorarentur.

4. Item statuimus, quòd audita morte Domini nostri Papæ, fiant in singulis Conuentibus exequiæ solemnes: Simili modo volumus & ordinamus fieri pro Domino eminentissimo Cardinali, Ordinis protectore, & pro supremo nationis Principe, postquam eorum obitus denuntiatus fuerit.

5. Item statuimus, quòd ter in anno fiat commemoratio pro fratribus defunctis nostri Ordinis, & ter pro parentibus & amicis fratrum, & pro omnibus, qui in Cœmeterijs nostri ordinis sunt sepulti; & ter pro patronis, familiaribus, & benefactoribus; & pro illis qui litteras habuerint fraternitatis, quas commemorationes Ternarios

vocamus: Primum Ternarium fratres faciant inter octauam Epiphaniæ & Festum Purificationis B. Mariæ. Secundus Ternarius fiat inter octauas Paschæ & Festum Ascensionis. Tertius fiat inter Festum Sancti Michaëlis, & omnium Sanctorum. Item quilibet Sacerdos vltra id, quod tenetur dicere pro quolibet fratre decedente ex sua Prouincia dicat annuatim, specialiter pro benefactoribus, familiaribus, & litteras Confraternitatis habentibus tam viuis quàm defunctis, nouem Missas, quarum tres de Spiritu Sancto, tres de B. Virgine, & tres sint de defunctis: Quilibet frater Clericus non Sacerdos, dicat singulis Dominicis, & diebus festiuis vnum nocturnum, prout describitur in Ceremoniali: Fratres verò laïci (vt alibi dicitur) diebus festiuis dicent quinquaginta. Pater noster, & totidem. Aue Maria.

6. Quantùm fieri poterit volumus in omnibus Cœmeterijs vel Ecclesijs nostris fratres à sæcularibus semotos sepeliri, & monumenta fratrum, à monumentis sæcularium distingui.

7. Secundum laudabilem consuetudinem sepeliantur fratres nostri cum suis Cappis facie, dum inhumantur, sudariolo cooperta.

8. In Conuentibus vbi decedunt fratres per totam Octauam fiant suffragia extraordinaria, iuxta Superioris arbitrium; die verò octauo Missa solemnis pro defuncto, sicut in die obitus celebretur.

CAPVT XVIII.

De Monialibus.

1. ORdinamus, quòd nulla Virgo coacta vel seducta recipiatur ad Claustra Monasterij, neque habitu induatur sub quouis quęsito prætextu: quæ verò

sponte in nostris Monasterijs admitti postulabunt, non recipiantur nisi de tribus partibus vocum Monialium habeatur per suffragia secreta consensus plurium quàm duarum: sitque maior duodecim annis, non illegitima, sed ex laudabili progenie orta, sacroque chrismate peruncta; & in eius receptione (excepto victu & vestitu) nihil à parentibus, vel alijs accipiatur.

2. Non multiplicentur Nouitiæ vltra numerum, qui vel ex reditibus proprijs Monasteriorum, vel ex consuetis Eleemosinis commodè possit sustentari: & quando vestiendæ erunt Virgines habitu Sacræ Religionis, ad euitandum tumultum, in interiori Ecclesia induantur absque aliqua sęculari pompa: aduertendum tamen, quòd si interior Ecclesia fuerit intra clausuram, itaut ad illam minimè pateat aditus sęcularibus, non licebit Prælato, pro vestienda Virgine habitu Religionis, illam ingredi.

3. Sanctimoniales ante decimum sextum annum expletum, professionem solemnem non emittant; & nisi per annum post receptionem habitus in probatione steterint, & de tribus partibus vocum Monialium per suffragia secreta consensus plurium quam duarum habeatur, & antequam professionem emittant, teneatur præfecta Monasterij de hoc Episcopum ante Mensem certiorem facere, sub pœna priuationis ab officio; & ad professionem emittendam non cogantur Nouitiæ, sed tantùm libera earum voluntas & deuotio conspiciatur. Quòd si aliqua Nouitia, probationis anno nondum expleto, ob infirmitatē, medici iudicio, ab hoc sęculo migratura putatur, & ipsa pro consolatione animæ suæ, ad professionē regularē ante tēpus requisitū (quatenus tamē in ętate legitima cōstituta sit) admitti desiderauerit, ad illā emittēdā in man⁹ Priorissæ, vel alterius Superioris Nouitiarū ipsius Monasterij vel domus, admitti poterit, & Nouitia dictā professionē liberè & licitè ex indulto Pij V. valebit emittere, & sic professa

decedens potiri indulgentia & alijs gratijs, quas aliæ Moniales verè professæ decedentes consequerentur: quo indulto frui possunt etiam fratres Nouitij.

4. Nulli Moniali liceat post emissam professionem exire à Monasterio etiam ad breue tempus quocunque prętextu, præterquam in causa perurgentis necessitatis, examinanda & approbanda in scriptis, non solùm per Superiores Ordinis, sed etiam per Reuerendissimos Ordinarios. Sciendum autem Gregorium XIII. declarasse nullas Moniales habere posse ostium, per quod ex claustro sit aditus in ipsarum Monialium Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus ad Missas & diuina officia patere solet accessus; sed omnino muro obstruendum: neque itidem licere Monialibus etiam conuersis egredi ianuam Monasterij, quæ est clausura ipsius Monasterij etiã ad claudendum aliam vlteriorem ianuam, per quam patere solet aditus sæcularibus venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca colloquijs destinata, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausuræ, quæ loca cum saltem pro causis prędictis patere soleant sęcularibus, ideo extra clausuram censeri debent, etiam quo tempore clausa sunt.

5. Velum nigrum seu consecrationis nulli Moniali detur, nisi steterit in Religione per quinque annos ad minùs professa: & nisi distinctè & rectè sciuerit legere & dicere horas canonicas, & cùm dare velum sit munus Episcopi, ordinamus, quòd à solo Priore Generali vel eius commissario Monialis consecrationis velum accipiat.

6. Singulis diebus saltem per horam Moniales nostræ omnes & singulæ conueniant in Ecclesia interiori ad orandum, in æstate post Nonam, & in Hyeme, post Matutinum immediatè sub pœna grauis culpæ, & Priorissæ sub pœna depositionis ab officio si super hoc negli-

gens fuerit: non vtantur Moniales noſtræ velis ſericeis aut criſpatis bauarijs.

7. Non teneant catulos,non feles ſeu catos, non libros profanos, & in indice Romano prohibitos, nec præſumant cantare in organis, niſi de licentia ſui Prælati: neque permittantur Magiſtri laïci aut Eccleſiaſtici,aut alius quiſquam accedere ad earum Monaſteria, vt ipſas Moniales doceat ſonum aut cantum, neque in earum Eccleſijs permittant Miſſas regulariter celebrare præter capellanos à ſuo Superiore eis deputatos.

8. Moniales noſtræ vitam communem ſeruent omni vitio proprietatis penitus abdicato iuxta formam preſcriptam in capite de proprietarijs: & ad euitandum eiuſmodi proprietatis vitium, aliáque multa inconuenientia, ſtrictè præcipimus quòd nulla Monialis audeat quicquam donare preſertim fratribus noſtris: neque fratres noſtri Monialibus, ſub pœna carceris ad arbitrium Superioris, penſata qualitate & quantitate delicti.

9. In communi menſa prima & ſecunda habeátur continua lectio de ſacra ſcriptura,vel de Homilijs, vel de vitis Sanctorum Patrum vernaculo ſermone conſcriptis, die dominica,feria ſecunda,tertia & quinta: Quarta verò feria,ſexta,& Sabatho ſit lectio vel de Regula vel de conſtitutionibus Ordinis. Nam æquum eſt, vt dum Moniales noſtræ corporali cibo reficiuntur, ſpirituali etiam veſcantur, & ſic in cibis quoque honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

10. In electione Prioriſſarum aliarumque officialium ad feneſtellam vota eligentium accipiantur, earum nominibus omnino ſuppreſſis & non publicatis,ſed tantùm electarum explicabuntur: & qui ex regularibus noſtris præerit electioni, caueat ne ſuffragium aliquod ferat, alioquin electiones ſint irritæ & nullæ, & in electionibus faciendis, nulla Monialis habeat vocem actiuam neque

passiuam, nisi per duos annos saltem steterit professa in Monasterio.

11. Priorissa eligatur non minor annis quadraginta & quæ octo annis post emissam expressam professionem, laudabiliter vixerit: quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio nostri Ordinis eligi possit: si hoc etiam incommodum ei qui electioni præest videatur, ex his quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserit, & quinque saltem annos post professionem rectè vixerit, eligatur.

12. Nulla Monialis pro electione Priorissæ practicam facere audeat dicendo, talis esset bona pro Priorissa, seu talis non esset, aut bonum esset facere talem vel non facere seu da vocem tali & huiusmodi, &c. sub pœnis à summis Pontificibus indictis & priuationis vocis actiuæ & passiuæ per triennium: verùm Moniales illæ quę hos sermones insimul non ambitionis, sed bonę intentionis causa habebunt, loquentes de idoneitate vel sufficientia eligendarum, pręd ictam pœnam non incurrent.

13. Nulla Priorissa vltra biennium in officio Prioratus perseuerare poterit, nec ad eam dignitatem & officium iterum assumatur, nisi per quatriennium integrum vacauerit, vbi tamen inoleuit consuetudo, quòd officium Prioratus Monialium sit triennale, ea seruanda est, & ibi nulla ad eandem dignitatem reassumenda, nisi per sexennium, integrum vacauerit, nullaque Monialis immediatè succedere poterit in huiusmodi officio, alteri sorori germanæ.

14. Sanctimoniales, certum est, quòd sine vllo medio subijciuntur Priori generali Ordinis, tamen ob locorum distantiam, earum regimen permittitur Reuerendis Prouincialibus: qui tanquam ipsius Commissarij, cum necesse fuerit, poterunt earum Monasteria adire, ingredi ta-

men earum clausuram non licet nisi vt infrà, & prouidere vt fuerit decens, iuxta formam harum constitutionum nostrarum: quòd si secus fecerint, sint priuati officio, loco, & voce.

15. Prouincialis igitur nomine R. Patris, tam Moniales, quàm ipsarum Confessarios & officiales omnes quotannis visitabit, & de omnibus habebit inquirere, iudicare, & statuere: & visitatio Monialium sacræ nostræ Religionis fiat secundum formam præscriptam, in hijs constitutionibus de modo & forma visitandi, & caueant visitatores ingressum Monasteriorum nisi in casibus in iure expressis: & tunc cum omni modestia, grauitate & sobrietate procedant, vt non solùm verbo sed etiam facto ædificent Moniales visitatas, & studeant primò, vt earum clausuræ inuiolabiliter seruentur.

16. Non adducant visitatores secum socios, nisi viros ætate graues sanctitateque pollentes, qui nulla ratione alloquentur Moniales nisi de licentia R. visitatoris: cum autem ordinauerit Gregorius XIII. Superiores ingredientes in casibus necessarijs Monasteria Monialium debere paruum comitatum habere, statuimus vt visitatores nostrarum Monialium ingredientes earum clausuram, secum adducant tantùm duos vel ad summum tres socios, habentes qualitates requisitas à Sanctissimo sub pœna priuationis officij, necnon loci & vocis, nisi aliquis occurrat casus, qui maiorem comitatum necessariò expostulet, & caueant visitatores, ne ingressi clausuram, intra eam plus se detineant quàm exigat necessitas, propter quam ingressi fuerint, alioquin grauiter peccabunt.

17. Visitatores cùm munus visitationis exercuerint, non audeant accipere dona seu munuscula aliqua ab ipsis Monialibus, nec à Priorissis, nè secundum dispositionem Sacrorum Canonum, suspensionem à

diurnis, vel alias pœnas incurrant, qui si in earum Monialium visitationibus aliquid notabile inuenerint, Priori generali vel eius vices gerenti statim referant, vt debita prouisio opportunumque medicamentum adhiberi possit.

18. Visitatores Monialium visitando non comedant in Monasterio, non in Ecclesia, non in Sacristia, sed citò se expediant & reuertantur ad Monasterium nostrum, vel ad hospitium, & caueant ne visitando fiant impensæ sed sumptibus Conuentuum fratrum viuent.

19. Vbi Moniales nostræ subduntur regimini Prouincialis earum confessarij eligantur in comitijs Prouincialibus qui sint viri graues, bonæ famæ & prouectæ ętatis: qui autem fuerit electus in primum Confessarium, sit Monialium Superior ordinarius, & de regimine domus tam in spiritualibus, quàm temporalibus habeat prouidere.

20. Licebit tamen Monialibus ad comitia Prouincialia scribere pro continuatione vel amotione suorum confessariorum, dummodo postulatio sit a maiori & saniori parte gremialium: quòd si quis ex Confessarijs esset assumptus aut mortuus, Prouincialis de alio habebit prouidere vsque ad proximum Capitulum Prouinciale vel congregationem.

21. Confessores Monialium non audeant ingredi earum Monasteria, nisi perurgente necessitate, & nunquam soli, sed cum socio, viro probo & maturæ ætatis, qui ab eorum latere non recedat; imò pro amborum custodia hęc omnia fiant, vt semper alter ab altero videatur: nec ingrediantur pro administrandis Sacramentis, nisi cum Cappa alba & Stola super ipsam: caueantque eorum socij ne aliquam Monialem alloquantur nisi de licentia Confessoris, sub pœna carceris, pensata qualitate & quantitate delicti.

22. Con-

22. Confiteantur sæpè Moniales peccata sua Confessario in Ecclesia, & communicent iuxta formam harum Constitutionum nostrarum ad fenestellam ad hoc dumtaxat destinatam.

23. Curabit Prior Generalis aut eius Commissarius vel Prouincialis, vt exhibeatur ipsis Monialibus quotannis extraordinarius Confessarius bis aut ter, qui omnium Confessiones audire debeat.

24. Confessarij Monialium insuper Confessiones puellarum sæcularium audiant, quæ in earum Monasterijs reperiuntur ad educationem, & eas communicent, ipsarumque in spiritualibus curam habeant; quæ non recipiantur à Priorissa vt educentur in Monasterio, nisi de licentia Prioris Generalis vel eius vices gerentis, seruatis tamen ordinationibus Illustrissimæ Congregationis à reformatione, & diplomatibus Pontificijs, quoad ingressum verò aliarum personarum laicarum vtriusque sexus, obseruentur quæ in diplomate dat. idibus Iunij 1575. Gregorius XIII. præcipit.

25. Quandiu fratres nostri manebunt apud Moniales Confessarij & obsequij causa, in nullo Conuentu vocem habebunt: eligi tamen poterunt tum in Priores, tum in Prouinciales, aut eorum socios, nisi pro bono Monialium ipsis fratribus consentientibus per Prouincialem, aut Capitulum Prouinciale ab electione etiam passiua excluderentur.

26. Quia verò in aliquibus nostri Ordinis Prouincijs Moniales Prouincialibus tanquam Commissarijs Reuerendissimi Generalis nullo modo subijciuntur, sed à specialibus et independentibus à Prouincialibus, Vicarijs Generalibus gubernantur, & sæpe fratres nostri contra mentem suorum Prouincialium & fratrum suę Prouinciæ ambientes ad hoc onus promoueri, litteris vel nimia frequentatione inducunt Moniales nostras eos in confes-


sarios eligere, ideo ad præcludendam viam eiusmodi ambitionis, prohibemus ne harum Prouinciarum Religiosi earum gubernationi aut regimini directè, vel indirectè immiscere se præsumant: & qui electionem suam aut assumptionem in Vicarium, Commissarium, Confessarium, Concionatorem, prouisorem, &c. ambire deprehensus fuerit, aut factam ab eis electionem, vel Assumptionem sine expresso Capituli Prouincialis, vel saltem Prouincialis & definitorum in scriptis obtento assensu acceptauerit, ipso facto Prouinciæ & reformationis desertor, & in perpetuum omni loco & voce priuatus habeatur: sitque omnis officij & dignitatis incapax, & qui sponte ac renuente Prouincia, ea via à reformatione semel abierit & in eisdem officijs senuerit, post consumptam meliorem vitæ partem redire non speret, Prouinciæ & Conuentibus onerosus, sed Moniales eisdem prouidere teneantur quod eis protestetur.

27 Quoniam ex decreto Congregationis Regularium, facto de speciali mãdato Sixti V. regulares etiam destinati à suis superioribus ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandum Missas in Monialium Ecclesijs vel Oratorijs, nullo modo possunt alloqui Moniales ipsas vel alias personas intra clausuram degentes, sub pæna priuationis officiorum ac vocis actiuæ & passiuæ ipso facto incurrenda, huic pœnæ subiacebit quicunque ex nostris fratribus accesserit ad alloquendas nostras Moniales, Confessoribus & Commissarijs Generalibus atque illis inseruientibus exceptis, & insuper expellendus erit à Conuentu illo si fuerit hospes cuiuscunque conditionis gradus, & dignitatis, detrudatur in carceres compedibus adstrictus ad vnum mensem, & sit priuatus loco & voce ad duos annos: si verò pertinax fuerit, adstringatur ad carceres, donec per Priorem Generalem ab eis fuerit liberatus, poterunt tamen Priores accedere ad Mo-

naſteria ſanctimonialium noſtri Ordinis, ſi à R. Prioriſſa vocati fuerint, vt earum neceſſitatibus remedium aliquod adhiberi poſſit.

28 Moniales ſcribentes vel litteras mittentes aut nuncia cuilibet fratrum noſtrorum, pro qualibet vice comedant in terra & in communi refectorio in pane & aqua & genuflexæ maneant ad ianuam refectorij, tranſeuntibus cæteris Monialibus cum corrigia ad collum: Fratres verò ipſis Monialibus ſcribentes, carceri mancipentur & ſeuerè puniantur, penſata qualitate litterarum: Excipiuntur tamen eorum Superiores & conſanguinei vſque ad tertium gradum, quibus conſanguineis non audebunt litteras mittere abſque licentia Superiorum.

24 Sciant Moniales noſtræ ſe teneri ad obſeruantiam Regulę & Conſtitutionum noſtrarum, quatenus earum ſexui & ſtatui non repugnant.




PARS TERTIA

CONSTITVTIONVM CARMELITARVM DE REGIMINE POLITICO.

CAPVT PRIMVM.

De Generali Capitulo & eius Præsidente & qui possunt interesse.



Enerale Capitulum de sexennio in sexennium celebretur, nisi fortè propter mortem aut assumptionem Prioris Generalis ipsum opporteat accelerari vel nisi ex causis rationalibus præcedens Capitulum Generale definiuiet tempus esse prolongandum, aut Prior Generalis ijsdem de causis in aliud tempus prorogandum esse iudicauerit assensu RR. Diffinitorũ, Capituli Generalis vel nisi aliud à sede

Apostolica Ordinatum fuerit. Et debet tantummodò congregari de Prioribus Prouincialibus, aut Vicarijs Prouincialibus electis, cum duobus socijs. De Vicario etiam Generali Congregationis Mantuanæ similiter cum vno tantum socio: vt patet ex Bulla concordiæ Gregorij decimi tertij, de Prouincialibus titularibus sine socijs: de Vicario Generali Sardiniæ & de Prioribus Transpontinæ, Parisiorum & Neapolis. Qui omnes sunt gremiales cum Priore Generali, & duobus eius socijs electis ad nutum & arbitratum ipsius Prioris Generalis: qui etiam eo defuncto, vel assumpto; aut alio modo ab officio amoto, sunt admittendi in Capitulo proximo cum Procuratore Generali Ordinis in Curia, si venerit personaliter. Statuentes & mandantes omnibus Prioribus Prouincialibus, & Vicarijs Prouincialibus, vacante officio Prouincialatus; vt veniant ad Capitulum Generale quilibet cum duobus socijs Canonicè electis in Capitulo Prouinciali ritè celebrato, qui fratrum omnium vocem & auctoritatem habeant ad eligendum, constituendum, ordinandum, & faciendum omnia illa, quæ in Capitulo Generali sunt facienda, tanquam si omnes fratres suæ Prouinciæ personaliter interessent: nec aliquis Prouincialis, aut Vicarius à Capitulo Generali quacunque simulatione, audeat se absentare, nisi infirmitate, aut debilitate contigerit detineri; vel nisi licentiam à Priore Generali petitam obtinuisset.

2. Vnus autem trium prædictorum, sit in Prouinciali Capitulo electus in DiffinitoremCapituli Generalis & si illum abesse contigerit dicto Capitulo, ille qui post eum plura habuerit vota sit diffinitor, & si duo defuerint, tertius præsens pro diffinitore habeatur, nonobstante quod fuisset Diffinitor inCapitulo præcedente. Et si in eodem Capitulo contigerit aliquem Diffinitorem in Priorem Generalem eligi, secundus, aut tertius modo di-

cto idest pro pluritate votorum suæ Prouinciæ pro Diffinitore habeatur. Et defferant huiusmodi Diffinitor, & socij electi litteras testimoniales de sua electione expressas, sub forma posita in Cap. de Capitulo Prouinciali. Statuentes, quòd Prouincialis absolutus qui ante suam absolutionem aut resignationem fuisset electus in Diffinitorem Capituli Generalis sit Diffinitor: nisi fuerit inhabilis factus, aut nisi post eius absolutionem, facta fuisset electio noui Prouincialis aut Vicarij: Quia tunc in isto casu, volumus, quòd fiat electio de omnibus, quæ spectant ad Capitulum Generale ac proinde de nouo etiam Definitore. Quod autem dictum est de Prouincialibus electis, & eorum socijs, quod vnus ex illis sit Diffinitor in Capitulo Generali debet intelligi etiam de Vicario Generali Congregationis Mantuanæ & eius socio. Item de gremio Definitorij erunt Prouinciales titulares, Vicarius Generalis Sardiniæ & Priores Transpontinæ, Neapolis & Parisiorum & denique Procurator Generalis de nouo electus, & etiam qui officium suum terminauerit.

3. Prioribus Prouincialibus, & prædictis socijs prouideatur rationabiliter in expensis à tota Prouincia per Diffinitores Capituli Prouincialis, pro eundo, & redeundo, iuxta quantitatem viæ aut regionum qualitates. Ordinantes, quod huiusmodi expensæ tempestiuè soluantur, ita vt primò prouideatur Definitori, quàm cuiquam alteri, Volumus tamen quod si contingeret Prouincialem, aut alterum sociorum quocunque casu remanere, pecunia pro eo taxata his qui soluerunt eam, restituatur, sub pœna proprietariorum eam nolenti restituere.

4. Item ordinamus, quod Prouincialis veniens ad Generale Capitulum, portet secum in scriptis numerum fratrum viuorum, & quot defuncti fuerint citra vltimum Capitulum, & quot recepti.

5. Item mandamus omnibus Prouincialibus, vt apud Reges, & Principes & Dominos suarum Prouinciarum eleemosynam procurent, pro G. Cap. diligenter, & eam secum portent, sub pœna depositionis ab eorũ Officijs.

6. Nullus intret Capitulum Generale nisi sex annos compleuerit in Ordine includendo annum probationis & nisi triginta annos habeat in ætate. Item nisi fuerit Prior, qui sciat loqui latinè vel sit Lector.

7. Item nullus ad locum Capituli G. vel Prouincialis veniat, ante Vigiliam Vigiliæ, quando in crastinum est Capitulum inchoandum, sub pœna priuationis vocis, & loci ipso facto, nisi à Pręsidēte licentiã obtinuerit specialē.

CAPVT II.

Quid agendum sit absente Priore G.

1. SI Prior G. ad Capitulum G. venire non possit, infirmitate, vel alia iusta causa forsan impeditus, mittat suos socios, sigillum, atque papyrum, vel librum Ordinis sigillo Generalium Comitiorum munitum per suũ Vicarium, aut Definitorem vel Prouincialem illius Prouinciæ in qua residet. Et si Vicarium mittat, præsidebit vsque ad scrutinium factum, & tunc terminetur eius auctoritas. Et Prouincialis antiquior secundum Ordinem Prouinciarum præsidebit, donec Prior Generalis fuerit in Officio confirmatus· qui etiam ab initio præsidebit, vsque ad confirmationem Generalis, si non miserit Vicarium. Et Priore Generali absente, & confirmato, eligatur vnus de Diffinitoribus in Præsidentem à toto Capitulo, in qua electione præsideat etiã dictus Prouincialis antiquior: nec huiusmodi electio reïteretur: sed qui plures voces habuerit, sit Vicari⁹: Et si plures in vocibus sint ęquales, ille præficiatur de eisdē qui antiquioris Prouinciæ erit Diffinitor: & tempore, quo ipse præsidebit, vtatur sigillo

Capituli Generalis quod quidem sigillum includatur Capitulo celebrato, cum libro Ordinis.

CAPVT III.

Quid agendum sit mortuo Priore Generali assumpto, vel amoto.

1. VAcante officio Generalatus quocunque modo, Prior Prouincialis illius Prouinciæ, in qua Capitulum Generale erat assignatum, aut si Prouincialatus vacauerit per mortem, aut assumptionem Prouincialis, & fuerit Vicarius electus in ea, Vicarius talis sit Vicarius totius Ordinis: & fungatur auctoritate plenaria Prioris Generalis, ac vocet Capitulum Generale & præsideat, donec Prior Generalis sit electus, & confirmatus, nisi aliter à sede Apostolica de Vicario Generali prouisum fuerit. Qui intra annum à vacatione Generalatus, conuocet Capitulum pro Priore Generali eligendo. Quod si terminum ordinatum plus distrahere oporteret, quàm per annum, quia fortè Generalàtus officium tali vacaret tempore, quod propter disconuenientiam temporis, non posset intra annum conuocari conuenienter celebrandũ, tunc poterit prolongari ad quatuor aut sex menses & non vltrà. Et si illa Prouincia tunc nec Prouincialem, nec Vicarium haberet electum, primus Diffinitor Cap. Prou. præcedentis vel eo mortuo Prior localis, aut Vicarius electus Conuentus, in quo proximum Capitulum Prouinciale in dicta Prouincia erat celebrandum, vel primam vocem habens in illo Conuentu, si Priorem, aut

Vicarium non habuerit electum, citiſſimè habet Capitulum Prouinciale conuocare: in quo, iuxta formam poſitam de Capitulo Prouinciali, eligatur Prior Prouincialis, vel Vicarius: & eo ipſo, quo ritè eſt electus, ſit Vicarius totius Ordinis. Et antequam Capitulum Prouinciale prefatum terminetur, eligantur ſocij, & diffinitor pro Capitulo Generali, & per dictum Vicarium Ordinis, Capitulum Generale conuocetur celeriter, vt dictum eſt. Si verò Vicarius ille mortuus, vel aſſumptus, aut ab executione officij legitimè impeditus fuerit, Prior Localis Conuentus, aut Vicarius per Conuentum electus, in quo Capitulum Generale eſt celebrandum fungatur prædicta auctoritate, vſque ad Capitulum congregatum, & ex tunc ſenior Prouincialis, ſecundum antiquitatem Prouinciarum præſideat, vſque ad electionem Prioris Generalis quem etiam habeat nomine omnium eligere & electum declarare confirmatum.

2. Statuimus quotieſcunque officium Generalatus vacauerit, vt ſemper in proximo Capitulo Generali electio alterius celebretur àntequam aliquid definiatur, ſcilicet immediatè facto ſcrutinio de culpis Prouincialium.

3. Item ſtatuimus, quòd ſi eligatur in Priorem Generalem vnus abſens, ſtatim vnus de Diffinitoribus eligatur ad præſidendum, modo prędicto.

4. Item ordinamus, quòd Prior Prouincialis in cuius Prouincia Prior Generalis obierit, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem fuerit, accipiat ſigillum officij Generalatus & illud deferat ad Capitulum Generale vel ad Vicarium Generalem, ſi quis per ſedem Apoſtolicam fuerit inſtitutus.

CAPVT IV.

De modo celebrandi Generale Capitulum.

1. CVm dies aſſignata aduenerit, nonobſtante cuiuſcunque abſentia, Generale Capitulum incipiatur celebrari in Vigilia diei aſſignatæ. Et primò, ſummo manc dicatur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto: deinde fiat ſermo, poſt Sermonem fiat commememoratio Fratrum noſtrorum, familiarium, patronorum, benefactorum & litteras confraternitatis habentium, defunctorum, ex ſingulis Prouincijs Ordinis citra Generale Capitulum vltimò celebratum. Et in fine dicatur Pſal. De profundis. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℣. Credo videre bona Domini. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

ABſolue quæſumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Et ſtatim incipiat præſidens Hymnum.
Veni Creator Spiritus, &c.
Quem Hymnum proſequatur Capitulum altiſonè: in fine

dicat præsidens. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. ℣. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi orat. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Quibus dictis, & exclusis omnibus qui non sunt de gremio Capituli videantur litteræ Diffinitorum, & sociorum: & fiat diligenter scrutinium, si ritè, & canonicè venerunt & fuerunt electi. Et si quis aliter venerit, non debet interesse Capitulo. Sin autem contingat aliquem electum Diffinitorem venire post scrutinium factum, postquam aliquis de sua Prouincia fuisset admissus, non admittatur ad diffinitionem, sed is qui admissus fuit perseueret.

2. Deinde si Prior Generalis non habeatur quia mortuus est, vel assumptus ad altiorem dignitatem: tunc audiantur culpæ Prouincialium, & responsiones eorum: & si aliqui amiserint vocem, & locum, ipso facto excludantur, & nulla pœnitentia alia eis tunc iniungatur, donec per Priorem Generalem, post eius electionem & Diffinitores fuerint discussæ culpæ eorum. Si autem Prior Generalis habeatur, dicetur post in Capite sequenti, quando Prouinciales facient culpas suas.

CAPVT V.

Quid agendum sit præsente Priore Generali.

1. SI Prior Generalis habeatur & fuerit præsens facto scrutinio, ponat sigillum Officij cum papyro, vel libro Ordinis, & reddat Diffinitoribus humiliter: vel si absens fuerit, ponant hi sigillum, per quos miserit. Deinde præsidente Diffinitore illius Prouinciæ, in qua Capitulum celebratur, diligenter audiant Diffinitores culpas Prioris Generalis. Quibus auditis determinent, an in Officio sit permittendus, vel ab eo absoluendus; declarantes, quòd excessus propter quos Generalis est absoluendus, sunt quatuor, videlicet pro hęresi, pro incorrigibilitate, pro peccato notorio, quod sine scandalo Ordinis non possit tolerari, vltimò si omnino sit inutilis. Si Prior Generalis pro culpis debeat absolui, pœnitentia ei pro modo culparum iniungatur. Ipsi quoque Diffinitores super excessus præfatos Prioris G. & non aliter; de eo corrigendo & penitus amouendo, plenariam habent potestatem, si vnanimem habuerint assensum: quorum sententia, ab omnibus est obseruanda; ita quod nemini liceat ab eorum sententia appellare & si appellatum fuerit, pro nulla appellatio habeatur, cum appellatio à correctione regulari sit friuola, & in nostro sacro Ordine per sanctam obedientiam sub magnis pœnis inhibita.

2. Si autem absoluatur, statim eo amoto, audiantur

culpæ Prouincialium. Et si tales sint, quod eo facto, vocem, & locum amiserint, eijciantur de Capitulo: nec alia eis iniungatur pœnitentia, donec eorum culpæ discutiantur in diffinitorio, vt dictum est.

CAPVT VI.

De Electione Prioris Generalis.

1 AVditis culpis Prouincialium, statim, & ante omnia ad electionem Prioris Generalis procedatur, si Officium vacauerit.


2. Non potest eligi aliquis in Priorem Generalem qui non compleuerit in nostro Ordine annos quindecim, & qui aliquando ab Ordine apostatauerit. Caueant omnes, sub animarum suarum graui periculo, quòd fideliter eligant vnum fratrem Ordinis, quem ad tantum Officium existimauerint digniorem. Idque iurare debent verbis sequentibus. Ego N. iuro me Electurum in Priorem Generalem probiorem & magis idoneum secundum veritatem meæ conscientiæ.

3. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per absentium sed præsentium dumtaxat, vota legitimè habentium locum, & vocem in Capitulo Generali: quæ adhuc per secreta suffragia fiat, non publicatis nominibus eligentium, iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini hoc modo videlicet: vt vnusquisque propria manu scribat votum suum, nomine tantùm electi expresso, hoc modo: Eligitur R. M. N. in Priorem Generalem nostri Ordinis, nullo alio addito verbo, alioquin illius suffragium erit nullum, & nullius valoris; scripto autem suo

ſarios eligere,ideo ad præcludendam viam eiuſmodi ambitionis, prohibemus ne harum Prouinciarum Religioſi earum gubernationi aut regimini directè, vel indirectè immiſcere ſe præſumant: & qui electionem ſuam aut aſſumptionem in Vicarium, Commiſſarium, Confeſſarium, Concionatorem, prouiſorem, &c. ambire deprehenſus fuerit, aut factam ab eis electionem, vel Aſſumptionem ſine expreſſo Capituli Prouincialis, vel ſaltem Prouincialis & definitorum in ſcriptis obtento aſſenſu acceptauerit, ipſo facto Prouinciæ & reformationis deſertor, & in perpetuum omni loco & voce priuatus habeatur:ſitque omnis officij & dignitatis incapax, & qui ſponte ac renuente Prouincia, ea via à reformatione ſemel abierit &in eiſdem officijs ſenuerit,poſt conſumptam meliorem vitæ partem redire non ſperet, Prouinciæ & Conuentibus oneroſus, ſed Moniales eiſdem prouidere teneantur quod eis proteſtetur.

27 Quoniam ex decreto Congregationis Regularium, facto de ſpeciali mãdato Sixti V.regulares etiam deſtinati à ſuis ſuperioribus ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandum Miſſas in Monialium Eccleſijs vel Oratorijs, nullo modo poſſunt alloqui Moniales ipſas vel alias perſonas intra clauſuram degentes, ſub pæna priuationis officiorum ac vocis actiuæ & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, huic pœnæ ſubiacebit quicunque ex noſtris fratribus acceſſerit ad alloquendas noſtras Moniales, Confeſſoribus & Commiſſarijs Generalibus atque illis inſeruientibus exceptis, & inſuper expellendus erit à Conuentu illo ſi fuerit hoſpes cuiuſcunque conditionis gradus, & dignitatis, detrudatur in carceres compedibus adſtrictus ad vnum menſem, & ſit priuatus loco & voce ad duos annos: ſi verò pertinax fuerit, adſtringatur ad carceres, donec per Priorem Generalem ab eis fuerit liberatus,poterunt tamen Priores accedere adMo-

naſteria ſanctimonialium noſtri Ordinis, ſi à R. Priorilia vocati fuerint, vt earum neceſſitatibus remedium aliquod adhiberi poſſit.
28 Moniales ſcribentes vel litteras mittentes aut nuncia cuilibet fratrum noſtrorum, pro qualibet vice comedant in terra & in communi refectorio in pane & aqua & genuflexæ maneant ad ianuam refectorij, tranſeuntibus cæteris Monialibus cum corrigia ad collum: Fratres verò ipſis Monialibus ſcribentes, carceri mancipentur & ſeuerè puniantur, penſata qualitate litterarum: Excipiuntur tamen eorum Superiores & conſanguinei vſque ad tertium gradum, quibus conſanguineis non audebunt litteras mittere abſque licentia Superiorum.
24 Sciant Moniales noſtræ ſe teneri ad obſeruantiam Regulę & Conſtitutionum noſtrarum, quatenus earum ſexui & ſtatui non repugnant.



PARS TERTIA

CONSTITVTIONVM CARMELITARVM DE REGIMINE POLITICO.

CAPVT PRIMVM.

De Generali Capitulo & eius Præsidente & qui possunt interesse.



Enerale Capitulum de ſexennio in ſexennium celebretur, niſi fortè propter mortem aut aſſumptionem Prioris Generalis ipſum opporteat accelerari vel niſi ex cauſis rationalibus præcedens Capitulum Generale definiſſet tempus eſſe prolongandum, aut Prior Generalis ijſdem de cauſis in aliud tempus prorogandum eſſe iudicauerit aſſenſu RR. Diffinitorij, Capituli Generalis vel niſi aliud à ſede

Apostolica Ordinatum fuerit. Et debet tantummodò congregari de Prioribus Prouincialibus, aut Vicarijs Prouincialibus electis, cum duobus socijs. De Vicario etiam Generali Congregationis Mantuanæ similiter cum vno tantum socio: vt patet ex Bulla concordiæ Gregorij decimi tertij, de Prouincialibus titularibus sine socijs: de Vicario Generali Sardiniæ & de Prioribus Transpontinæ, Parisiorum & Neapolis. Qui omnes sunt gremiales cum Priore Generali, & duobus eius socijs electis ad nutum & arbitratum ipsius Prioris Generalis: qui etiam eo defuncto, vel assumpto; aut alio modo ab officio amoto, sunt admittendi in Capitulo proximo cum Procuratore Generali Ordinis in Curia, si venerit personaliter. Statuentes & mandantes omnibus Prioribus Prouincialibus, & Vicarijs Prouincialibus, vacante officio Prouincialatus; vt veniant ad Capitulum Generale quilibet cum duobus socijs Canonicè electis in Capitulo Prouinciali ritè celebrato, qui fratrum omnium vocem & auctoritatem habeant ad eligendum, constituendum, ordinandum, & faciendum omnia illa, quæ in Capitulo Generali sunt facienda, tanquam si omnes fratres suæ Prouinciæ personaliter interessent: nec aliquis Prouincialis, aut Vicarius à Capitulo Generali quacunque simulatione, audeat se absentare, nisi infirmitate, aut debilitate contigerit detineri; vel nisi licentiam à Priore Generali petitam obtinuisset.

2. Vnus autem trium prædictorum, sit in Prouinciali Capitulo electus in DiffinitoremCapituli Generalis & si illum abesse contigerit dicto Capitulo, ille qui post eum plura habuerit vota sit diffinitor, & si duo defuerint, tertius præsens pro diffinitore habeatur, nonobstante quod fuisset Diffinitor inCapitulo præcedente. Etsi in eodem Capitulo contigerit aliquem Diffinitorem in Priorem Generalem eligi, secundus, aut tertius modo di-

cto idest pro pluritate votorum suæ Prouinciæ pro Diffinitore habeatur. Et defferant huiusmodi Diffinitor, & socij electi litteras testimoniales de sua electione expressas, sub forma posita in Cap. de Capitulo Prouinciali. Statuentes, quòd Prouincialis absolutus qui ante suam absolutionem aut resignationem fuisset electus in Diffinitorem Capituli Generalis sit Diffinitor: nisi fuerit inhabilis factus, aut nisi post eius absolutionem, facta fuisset electio noui Prouincialis aut Vicarij: Quia tunc in isto casu, volumus, quòd fiat electio de omnibus, quæ spectant ad Capitulum Generale ac proinde de nouo etiam Definitore. Quod autem dictum est de Prouincialibus electis, & eorum socijs, quod vnus ex illis sit Diffinitor in Capitulo Generali debet intelligi etiam de Vicario Generali Congregationis Mantuanæ & eius socio. Item de gremio Definitorij erunt Prouinciales titulares, Vicarius Generalis Sardiniæ & Priores Transpontinæ, Neapolis & Parisiorum & denique Procurator Generalis de nouo electus, & etiam qui officium suum terminauerit.

3. Prioribus Prouincialibus, & prædictis socijs prouideatur rationabiliter in expensis à tota Prouincia per Diffinitores Capituli Prouincialis, pro eundo, & redeundo, iuxta quantitatem viæ aut regionum qualitates. Ordinantes, quod huiusmodi expensæ tempestiuè soluantur, ita vt primò prouideatur Definitori, quàm cuiquam alteri, Volumus tamen quod si contingeret Prouincialem, aut alterum sociorum quocunque casu remanere, pecunia pro eo taxata his qui soluerunt eam, restituatur, sub pœna proprietariorum eam nolenti restituere.

4. Item ordinamus, quod Prouincialis veniens ad Generale Capitulum, portet secum in scriptis numerum fratrum viuorum, & quot defuncti fuerint citra vltimum Capitulum, & quot recepti.

5. Item mandamus omnibus Prouincialibus, vt apud Reges, & Principes & Dominos suarum Prouinciarum eleemosynam procurent, pro G. Cap. diligenter, & eam secum portent, sub pœna depositionis ab eorũ Officijs.

6. Nullus intret Capitulum Generale nisi sex annos compleuerit in Ordine includendo annum probationis & nisi triginta annos habeat in ætate. Item nisi fuerit Prior, qui sciat loqui latinè vel sit Lector.

7. Item nullus ad locum Capituli G. vel Prouincialis veniat, ante Vigiliam Vigiliæ, quando in crastinum est Capitulum inchoandum, sub pœna priuationis vocis, & loci ipso facto, nisi à Prę sidẽte licentiã obtinuerit specialẽ.

CAPVT II.

Quid agendum sit absente Priore G.

1. SI Prior G. ad Capitulum G. venire non possit, infirmitate, vel alia iusta causa forsan impeditus, mittat suos socios, sigillum, atque papyrum, vel librum Ordinis sigillo Generalium Comitiorum munitum per suũ Vicarium, aut Definitorem vel Prouincialem illius Prouinciæ in qua residet. Et si Vicarium mittat, præsidebit vsque ad scrutinium factum, & tunc terminetur eius auctoritas. Et Prouincialis antiquior secundum Ordinem Prouinciarum præsidebit, donec Prior Generalis fuerit in Officio confirmatus: qui etiam ab initio præsidebit, vsque ad confirmationem Generalis, si non miserit Vicarium. Et Priore Generali absente, & confirmato, eligatur vnus de Diffinitoribus in Præsidentem à toto Capitulo, in qua electione præsideat etiã dictus Prouincialis antiquior: nec huiusmodi electio reïteretur: sed qui plures voces habuerit, sit Vicari⁹: Et si plures in vocibus sint ęquales, ille præficiatur de eisdẽ qui antiquioris Prouinciæ erit Diffinitor: & tempore, quo ipse præ sidebit, vtatur sigillo

Capituli Generalis quod quidem sigillum includatur Capitulo celebrato, cum libro Ordinis.

CAPVT III.

Quid agendum sit mortuo Priore Generali assumpto, vel amoto.

1. VAcante officio Generalatus quocunque modo, Prior Prouincialis illius Prouinciæ, in qua Capitulum Generale erat assignatum, aut si Prouincialatus vacauerit per mortem, aut assumptionem Prouincialis, & fuerit Vicarius electus in ea, Vicarius talis sit Vicarius totius Ordinis: & fungatur auctoritate plenaria Prioris Generalis, ac vocet Capitulum Generale & præsideat, donec Prior Generalis sit electus, & confirmatus, nisi aliter à sede Apostolica de Vicario Generali prouisum fuerit. Qui intra annum à vacatione Generalatus, conuocet Capitulum pro Priore Generali eligendo. Quod si terminum ordinatum plus distrahere oporteret, quàm per annum, quia fortè Generalàtus officium tali vacaret tempore, quod propter disconuenientiam temporis, non posset intra annum conuocari conuenienter celebrandũ, tunc poterit prolongari ad quatuor aut sex menses & non vltrà. Et si illa Prouincia tunc nec Prouincialem, nec Vicarium haberet electum, primus Diffinitor Cap. Prou. precedentis vel eo mortuo Prior localis, aut Vicarius electus Conuentus, in quo proximum Capitulum Prouinciale in dicta Prouincia erat celebrandum, vel primam vocem habens in illo Conuentu, si Priorem, aut

Vicarium non habuerit electum, citiſſimè habet Capitulum Prouinciale conuocare: in quo, iuxta formam poſitam de Capitulo Prouinciali, eligatur Prior Prouincialis, vel Vicarius: & eo ipſo, quo ritè eſt electus, ſit Vicarius totius Ordinis. Et antequam Capitulum Prouinciale præfatum terminetur, eligantur ſocij, & diffinitor pro Capitulo Generali, & per dictum Vicarium Ordinis, Capitulum Generale conuocetur celeriter, vt dictum eſt. Si verò Vicarius ille mortuus, vel aſſumptus, aut ab executione officij legitimè impeditus fuerit, Prior Localis Conuentus, aut Vicarius per Conuentum electus, in quo Capitulum Generale eſt celebrandum fungatur prædicta auctoritate, vſque ad Capitulum congregatum, & ex tunc ſenior Prouincialis, ſecundum antiquitatem Prouinciarum præſideat, vſque ad electionem Prioris Generalis quem etiam habeat nomine omnium eligere & electum declarare confirmatum.

2. Statuimus quotieſcunque officium Generalatus vacauerit, vt ſemper in proximo Capitulo Generali electio alterius celebretur àntequam aliquid definiatur, ſcilicet immediatè facto ſcrutinio de culpis Prouincialium.

3. Item ſtatuimus, quòd ſi eligatur in Priorem Generalem vnus abſens, ſtatim vnus de Diffinitoribus eligatur ad præſidendum, modo prędicto.

4. Item ordinamus, quòd Prior Prouincialis in cuius Prouincia Prior Generalis obierit, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem fuerit, accipiat ſigillum officij Generalatus & illud deferat ad Capitulum Generale vel ad Vicarium Generalem, ſi quis per ſedem Apoſtolicam fuerit inſtitutus.

CAPVT IV.

De modo celebrandi Generale Capitulum.

1. CVm dies aſſignata aduenerit, nonobſtante cuiuſcunque abſentia, Generale Capitulum incipiatur celebrari in Vigilia diei aſſignatæ. Et primò, ſummo mane dicatur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto: deinde fiat ſermo, poſt Sermonem fiat commememoratio Fratrum noſtrorum, familiarium, patronorum, benefactorum & litteras confraternitatis habentium, defunctorum, ex ſingulis Prouincijs Ordinis citra Generale Capitulum vltimò celebratum. Et in fine dicatur Pſal. De profundis. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℣. Credo videre bona Domini. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

ABſolue quæſumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et ſtatim incipiat præſidens Hymnum.

Veni Creator Spiritus, &c.

Quem Hymnum proſequatur Capitulum altiſonè: in fine

dicat præſidens. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi orat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quibus dictis, & excluſis omnibus qui non ſunt de gremio Capituli videantur litteræ Diffinitorum, & ſociorum: & fiat diligenter ſcrutinium, ſi ritè, & canonicè venerunt & fuerunt electi. Et ſi quis aliter venerit, non debet intereſſe Capitulo. Sin autem contingat aliquem electum Diffinitorem venire poſt ſcrutinium factum, poſtquam aliquis de ſua Prouincia fuiſſet admiſſus, non admittatur ad diffinitionem, ſed is qui admiſſus fuit perſeueret.

2. Deinde ſi Prior Generalis non habeatur quia mortuus eſt, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem: tunc audiantur culpæ Prouincialium, & reſponſiones eorum: & ſi aliqui amiſerint vocem, & locum, ipſo facto excludantur, & nulla pœnitentia alia eis tunc iniungatur, donec per Priorem Generalem, poſt eius electionem & Diffinitores fuerint diſcuſſæ culpæ eorum. Si autem Prior Generalis habeatur, dicetur poſt in Capite ſequenti, quando Prouinciales facient culpas ſuas.

culpæ Prouincialium. Et si tales sint, quod eo facto, vocem, & locum amiserint, eijciantur de Capitulo: nec alia eis iniungatur pœnitentia, donec eorum culpæ discutiantur in diffinitorio, vt dictum est.

CAPVT VI.

De Electione Prioris Generalis.

1 AVditis culpis Prouincialium, statim, & ante omnia ad electionem Prioris Generalis procedatur, si Officium vacauerit.

2. Non potest eligi aliquis in Priorem Generalem qui non compleuerit in nostro Ordine annos quindecim, & qui aliquando ab Ordine apostatauerit. Caueant omnes, sub animarum suarum graui periculo, quòd fideliter eligant vnum fratrem Ordinis, quem ad tantum Officium existimauerint digniorem. Idque iurare debent verbis sequentibus. Ego N. iuro me Electurum in Priorem Generalem probiorem & magis idoneum secundum veritatem meæ conscientiæ.

3. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per absentium sed præsentium dumtaxat, vota legitimè habentium locum, & vocem in Capitulo Generali: quæ adhuc per secreta suffragia fiat, non publicatis nominibus eligentium, iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini hoc modo videlicet: vt vnusquisque propria manu scribat votum suum, nomine tantùm electi expresso, hoc modo: Eligitur R. M. N. in Priorem Generalem nostri Ordinis, nullo alio addito verbo, alioquin illius suffragium erit nullum, & nullius valoris; scripto autem suo

voto eligens schedam proprijs manibus complicet, eamque reponat in pyxide: & omnium suffragijs absolutis, vnus de præcipuis gremialibus, ad nutum Præsidentis, singulatim dictas schedas extrahat & euoluat, & alius, audiente toto gremio, vota singulorum eligentium legat, & pronunciet. Et tunc ille, in quem pars maior, & sanior conuenerit omnium eligentium, ita videlicet, vt pars sua partes alias simul iunctas excedat, ille Prior Generalis habeatur ab omnibus: quod si non excedat, reiteretur electio vsque tertiò & ille tunc in quem maior, & sanior pars conuenerit Prior Generalis habeatur & publicatione votorum facta suppressis nominibus eligentium, statim habens primam vocem, dicat: Ego N. auctoritate mihi commissa, & nomine omnium eligentium eligo & denuntio N. esse Priorem Generalem Ordinis nostri, & pronuntio eum virtute Priuilegij Ordini nostro indulti à Sixto IV. in Mari Magno Bulla 53. nu.16. fore Priorem Generalem legitimè confirmatum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Si tamen electioni consenserit ipse electus. Deinde incontinenti comburenda sunt vota coram toto gremio.

4. Ipso autem sic confirmato, ducant eum Fratres ad Ecclesiam cantantes: Te Deum laud. Vbi ante ante altare, tapetis reuerenter appositis se prosternat, donec percantetur. Quo terminato dicitur. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Et dicat qui præerat eius electioni vel qui confirmauit. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Ora pro eo sancta Dei genetrix. ℟. Vt dignus efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da ei in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Oratio.

PRætende Domine famulo tuo dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, assequatur.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum, & super cunctas Congregationes illi commissas, Spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio.

PRotege Domine famulum tuum, subsidijs pacis, & Beatæ Mariæ semper Virginis Patrocinijs confidentem, à cunctis hostibus redde securum, per Christum Dominum nostrum.

Deinde genibus flexis alta voce faciat professionem fidei prout sequitur inferiùs in fine cap. 19. huius partis postea surgat, & osculetur altare reuerenter, & præsentetur ei aspersorium: quo se primò, deinde alios aspergat. Tunc sedeat in loco sibi ante altare parato reuerenter, & Fratres singuli ad eum accedentes, genibus flexis, manus eius osculentur humiliter & ipse de cætero sit dilgens, & intentus, cum Dei timore, ad regimen Ordinis, & reformationem morum.

CAPVT VII.

De Diffinitorio ipsius Capituli Generalis.

1 HAbito ergo Priore Generali, in officioque confirmato, ipse si præsens sit, vel Vicarius electus in eius absentia, cum Diffinitoribus, de instituendis, & mutandis Prioribus Prouincialibus plenariam habeant potestatem, prout eis videbitur: & de alijs diffiniendis in dicto capitulo: nonobstante quacunque consuetudine in contrarium, & qui decreto Capituli Generalis se opposuerit pœnas rebellium incurret. Et si gremiales Diffinitorij in aliquo discordarent, & in partes inæquales se diuiserint, sententia plurium præualebit.

2 Ordinantes, quòd in Conuentibus Romanæ Curiæ, & alijs Priori Generali immediatè subiectis, Priores instituantur: qui non possint absolui, nisi per Priorem Generalem: alij vero omnes subdantur Prouincialibus suis; Similiter ordinetur per eas de Procuratore in Romana Curia, & de lectoribus in vniuersitatibus; & etiam de Regentibus, si necesse fuerit, & cum bona discretione discutiant culpas Prouincialium, & ordinent de illis, & de ceteris pacificè.

3 Prior Generalis, vel Vicarius eius, & procurator Ordinis: in præsentia Capituli reddant rationem de expensis factis pro negotijs Ordinis exequendis, similiter, & Procuratores Generalis capituli, & fratres ordinati ad

recipien-

recipiendum, & exponendum Priori Generali coram Diffinitoribus, & alijs Fratribus, quos vocare voluerit.

CAPVT VIII.

De publicatione & litteris, ac sigillationibus actorum Capituli Generalis.

1. VOlumus autem, quòd cum publicanda fuerint acta Capituli Generalis, pulsata nola capitulari,& congregatis Fratribus, statim Priores Prouinciales, & etiam locales Romanæ Curiæ, &c. ab officijs suis absoluantur, & statim sigilla cum litteris officiorum suorum, reddere non omittant Præsidenti & Diffinitoribus. Vnde statuimus, quòd si contingeret Prouinciales remanere causa infirmitatis, vel alia legitima, habeant per socios suos sigilla cum litteris mittere, sub pœna arbitrio Diffinitorum: quibus redditis, omnia acta, & diffinita legantur, pœnitentiæ denuncientur: similiter & gratiæ pœnarum relaxatiuæ, & ceteræ sententiæ promulgentur. Quibus peractis Præsidens vocet instituendos Prouinciales proprijs nominibus: & prædictos Priores locales sigillatim: qui vocati coram ipso, genua flectentes,& ipse singulis tradendo sigillum Prouincialatus dicat: auctoritate nostra, & de vnanimi assensu Diffinitorum presentis Capituli facimus,ordinamus te.N. Priorem Prouincialem nostræ Prouinciæ N. dantes tibi cu-

cto ideſt pro pluritate votorum ſuæ Prouinciæ pro Diffinitore habeatur. Et defferant huiuſmodi Diffinitor, & ſocij electi litteras teſtimoniales de ſua electione expreſſas, ſub forma poſita in Cap. de Capitulo Prouinciali. Statuentes, quòd Prouincialis abſolutus qui ante ſuam abſolutionem aut reſignationem fuiſſet electus in Diffinitorem Capituli Generalis ſit Diffinitor: niſi fuerit inhabilis factus, aut niſi poſt eius abſolutionem, facta fuiſſet electio noui Prouincialis aut Vicarij: Quia tunc in iſto caſu, volumus, quòd fiat electio de omnibus, quæ ſpectant ad Capitulum Generale ac proinde de nouo etiam Definitore. Quod autem dictum eſt de Prouincialibus electis, & eorum ſocijs, quod vnus ex illis ſit Diffinitor in Capitulo Generali debet intelligi etiam de Vicario Generali Congregationis Mantuanæ & eius ſocio. Item de gremio Definitorij erunt Prouinciales titulares, Vicarius Generalis Sardiniæ & Priores Tranſpontinæ, Neapolis & Pariſiorum & denique Procurator Generalis de nouo electus, & etiam qui officium ſuum terminauerit.

3. Prioribus Prouincialibus, & prædictis ſocijs prouideatur rationabiliter in expenſis à tota Prouincia per Diffinitores Capituli Prouincialis, pro eundo, & redeundo, iuxta quantitatem viæ aut regionum qualitates. Ordinantes, quod huiuſmodi expenſæ tempeſtiuè ſoluantur, ita vt primò prouideatur Definitori, quàm cuiquam alteri, Volumus tamen quod ſi contingeret Prouincialem, aut alterum ſociorum quocunque caſu remanere, pecunia pro eo taxata his qui ſoluerunt eam, reſtituatur, ſub pœna proprietariorum eam nolenti reſtituere.

4. Item ordinamus, quod Prouincialis veniens ad Generale Capitulum, portet ſecum in ſcriptis numerum fratrum viuorum, & quot defuncti fuerint citra vltimum Capitulum, & quot recepti.

5. Item mandamus omnibus Prouincialibus, vt apud Reges, & Principes & Dominos suarum Prouinciarum eleemosynam procurent, pro G. Cap. diligenter, & eam secum portent, sub pœna depositionis ab eorũ Officijs.

6. Nullus intret Capitulum Generale nisi sex annos compleuerit in Ordine includendo annum probationis & nisi triginta annos habeat in ætate. Item nisi fuerit Prior, qui sciat loqui latinè vel sit Lector.

7. Item nullus ad locum Capituli G. vel Prouincialis veniat, ante Vigiliam Vigiliæ, quando in crastinum est Capitulum inchoandum, sub pœna priuationis vocis, & loci ipso facto, nisi à Prędidẽte licentiã obtinuerit specialẽ.

CAPVT II.

Quid agendum sit absente Priore G.

1. SI Prior G. ad Capitulum G. venire non possit, infirmitate, vel alia iusta causa forsan impeditus, mittat suos socios, sigillum, atque papyrum, vel librum Ordinis sigillo Generalium Comitiorum munitum per suũ Vicarium, aut Definitorem vel Prouincialem illius Prouinciæ in qua residet. Et si Vicarium mittat, præsidebit vsque ad scrutinium factum, & tunc terminetur eius auctoritas. Et Prouincialis antiquior secundum Ordinem Prouinciarum præsidebit, donec Prior Generalis fuerit in Officio confirmatus· qui etiam ab initio præsidebit, vsque ad confirmationem Generalis, si non miserit Vicarium. Et Priore Generali absente, & confirmato, eligatur vnus de Diffinitoribus in Præsidentem à toto Capitulo, in qua electione præsideat etiã dictus Prouincialis antiquior: nec huiusmodi electio reiteretur: sed qui plures voces habuerit, sit Vicari⁹: Et si plures in vocibus sint ęquales, ille præficiatur de eisdẽ qui antiquioris Prouinciæ erit Diffinitor: & tempore, quo ipse præsidebit, vtatur sigillo

Capituli Generalis quod quidem sigillum includatur Capitulo celebrato, cum libro Ordinis.

CAPVT III.

Quid agendum sit mortuo Priore Generali assumpto, vel amoto.

1. VAcante officio Generalatus quocunque modo, Prior Prouincialis illius Prouinciæ, in qua Capitulum Generale erat assignatum, aut si Prouincialatus vacauerit per mortem, aut assumptionem Prouincialis, & fuerit Vicarius electus in ea, Vicarius talis sit Vicarius totius Ordinis: & fungatur auctoritate plenaria Prioris Generalis, ac vocet Capitulum Generale & præsideat, donec Prior Generalis sit electus, & confirmatus, nisi aliter à sede Apostolica de Vicario Generali prouisum fuerit. Qui intra annum à vacatione Generalatus, conuocet Capitulum pro Priore Generali eligendo. Quod si terminum ordinatum plus distrahere oporteret, quàm per annum, quia fortè Generalàtus officium tali vacaret tempore, quod propter disconuenientiam temporis, non posset intra annum conuocari conuenienter celebrandú, tunc poterit prolongari ad quatuor aut sex menses & non vltrà. Et si illa Prouincia tunc nec Prouincialem, nec Vicarium haberet electum, primus Diffinitor Cap. Prou. precedentis vel eo mortuo Prior localis, aut Vicarius electus Conuentus, in quo proximum Capitulum Prouinciale in dicta Prouincia erat celebrandum, vel primam vocem habens in illo Conuentu, si Priorem, aut

Vicarium non habuerit electum, citissimè habet Capitulum Prouinciale conuocare: in quo, iuxta formam positam de Capitulo Prouinciali, eligatur Prior Prouincialis, vel Vicarius: & eo ipso, quo ritè est electus, sit Vicarius totius Ordinis. Et antequam Capitulum Prouinciale prefatum terminetur, eligantur socij, & diffinitor pro Capitulo Generali, & per dictum Vicarium Ordinis, Capitulum Generale conuocetur celeriter, vt dictum est. Si verò Vicarius ille mortuus, vel assumptus, aut ab executione officij legitimè impeditus fuerit, Prior Localis Conuentus, aut Vicarius per Conuentum electus, in quo Capitulum Generale est celebrandum fungatur prædicta auctoritate, vsque ad Capitulum congregatum, & ex tunc senior Prouincialis, secundum antiquitatem Prouinciarum præsideat, vsque ad electionem Prioris Generalis quem etiam habeat nomine omnium eligere & electum declarare confirmatum.

2. Statuimus quotiescunque officium Generalatus vacauerit, vt semper in proximo Capitulo Generali electio alterius celebretur àntequam aliquid definiatur, scilicet immediatè facto scrutinio de culpis Prouincialium.

3. Item statuimus, quòd si eligatur in Priorem Generalem vnus absens, statim vnus de Diffinitoribus eligatur ad præsidendum, modo prędicto.

4. Item ordinamus, quòd Prior Prouincialis in cuius Prouincia Prior Generalis obierit, vel assumptus ad altiorem dignitatem fuerit, accipiat sigillum officij Generalatus & illud deferat ad Capitulum Generale vel ad Vicarium Generalem, si quis per sedem Apostolicam fuerit institutus.

CAPVT IV.

De modo celebrandi Generale Capitulum.

1. CVm dies aſſignata aduenerit, nonobſtante cuiuſcunque abſentia, Generale Capitulum incipiatur celebrari in Vigilia diei aſſignatæ. Et primò, ſummo mane dicatur ſolemniter Miſſa de Spiritu Sancto: deinde fiat ſermo, poſt Sermonem fiat commemoratio Fratrum noſtrorum, familiarium, patronorum, benefactorum & litteras confraternitatis habentium, defunctorum, ex ſingulis Prouincijs Ordinis citra Generale Capitulum vltimò celebratum. Et in fine dicatur Pſal. De profundis. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. A porta inferi. ℣. Credo videre bona Domini. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

ABſolue quæſumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et ſtatim incipiat præſidens Hymnum.

Veni Creator Spiritus, &c.

Quem Hymnum proſequatur Capitulum altiſonè: in fine

dicat præſidens. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terræ. ℣. Domine exaudi orat. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quibus dictis, & excluſis omnibus qui non ſunt de gremio Capituli videantur litteræ Diffinitorum, & ſociorum: & fiat diligenter ſcrutinium, ſi ritè, & canonicè venerunt & fuerunt electi. Et ſi quis aliter venerit, non debet intereſſe Capitulo. Sin autem contingat aliquem electum Diffinitorem venire poſt ſcrutinium factum, poſtquam aliquis de ſua Prouincia fuiſſet admiſſus, non admittatur ad diffinitionem, ſed is qui admiſſus fuit perſeueret.

2. Deinde ſi Prior Generalis non habeatur quia mortuus eſt, vel aſſumptus ad altiorem dignitatem: tunc audiantur culpæ Prouincialium, & reſponſiones eorum: & ſi aliqui amiſerint vocem, & locum, ipſo facto excludantur, & nulla pœnitentia alia eis tunc iniungatur, donec per Priorem Generalem, poſt eius electionem & Diffinitores fuerint diſcuſſæ culpæ eorum. Si autem Prior Generalis habeatur, dicetur poſt in Capite ſequenti, quando Prouinciales facient culpas ſuas.

culpæ Prouincialium. Et si tales sint, quod eo facto, vocem, & locum amiserint, eijciantur de Capitulo : nec alia eis iniungatur pœnitentia, donec eorum culpæ discutiantur in diffinitorio, vt dictum est.

CAPVT VI.

De Electione Prioris Generalis.

1 AVditis culpis Prouincialium, statim, & ante omnia ad electionem Prioris Generalis procedatur, si Officium vacauerit.

2. Non potest eligi aliquis in Priorem Generalem qui non compleuerit in nostro Ordine annos quindecim, & qui aliquando ab Ordine apostatauerit. Caueant omnes, sub animarum suarum graui periculo, quòd fideliter eligant vnum fratrem Ordinis, quem ad tantum Officium existimauerint digniorem. Idque iurare debent verbis sequentibus. Ego N. iuro me Electurum in Priorem Generalem probiorem & magis idoneum secundum veritatem meæ conscientiæ.

3. Electio autem Prioris Generalis nullo modo fiat per absentium sed præsentium dumtaxat, vota legitimè habentium locum, & vocem in Capitulo Generali: quæ adhuc per secreta suffragia fiat, non publicatis nominibus eligentium, iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini hoc modo videlicet: vt vnusquisque propria manu scribat votum suum, nomine tantùm electi expresso, hoc modo: Eligitur R. M. N. in Priorem Generalem nostri Ordinis, nullo alio addito verbo, alioquin illius suffragium erit nullum, & nullius valoris; scripto autem suo

voto eligens schedam proprijs manibus complicet, eamque reponat in pyxide: & omnium suffragijs absolutis, vnus de praecipuis gremialibus, ad nutum Praesidentis, singulatim dictas schedas extrahat & euoluat, & alius, audiente toto gremio, vota singulorum eligentium legat, & pronuntiet. Et tunc ille, in quem pars maior, & sanior conuenerit omnium eligentium, ita videlicet, vt pars sua partes alias simul iunctas excedat, ille Prior Generalis habeatur ab omnibus: quod si non excedat, reiteretur electio vsque tertiò & ille tunc in quem maior, & sanior pars conuenerit Prior Generalis habeatur: & publicatione votorum facta suppressis nominibus eligentium, statim habens primam vocem, dicat: Ego N. auctoritate mihi commissa, & nomine omnium eligentium eligo & denuntio N. esse Priorem Generalem Ordinis nostri, & pronuntio eum virtute Priuilegij Ordini nostro indulti à Sixto IV. in Mari Magno Bulla 53. nu. 16. fore Priorem Generalem legitimè confirmatum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Si tamen electioni consenserit ipse electus. Deinde incontinenti comburenda sunt vota coram toto gremio.

4. Ipso autem sic confirmato, ducant eum Fratres ad Ecclesiam cantantes: Te Deum laud. Vbi ante ante altare, tapetis reuerenter appositis se prosternat, donec percantetur. Quo terminato dicitur. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Et dicat qui praeerat eius electioni vel qui confirmauit. Et ne nos. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur. ℟. Et renouabis faciem terrae. ℣. Manda Deus virtuti tuae. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eo. ℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Ora pro eo sancta Dei genetrix. ℟. Vt dignus efficiatur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

DEus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da ei in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

PRætende Domine famulo tuo dexteram cæleſtis auxilij: vt te toto corde perquirat, & quæ dignè poſtulat, aſſequatur.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum, & ſuper cunctas Congregationes illi commiſſas, Spiritum gratiæ ſalutaris: & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio.

PRotege Domine famulum tuum, ſubſidijs pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis Patrocinijs confidentem, à cunctis hoſtibus redde ſecurum, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Deinde genibus flexis alta voce faciat profeſſionem fidei prout ſequitur inferiùs in fine cap. 19. huius partis poſtea ſurgat, & oſculetur altare reuerenter, & præſentetur ei aſperſorium: quo ſe primò, deinde alios aſpergat. Tunc ſedeat in loco ſibi ante altare parato reuerenter, & Fratres ſinguli ad eum accedentes, genibus flexis, manus eius oſculentur humiliter & ipſe de cætero ſit dilgens, & intentus, cum Dei timore, ad regimen Ordinis, & reformationem morum.

recipiendum, & exponendum Priori Generali coram Diffinitoribus, & alijs Fratribus, quos vocare voluerit.

CAPVT VIII.

De publicatione & litteris, ac sigillationibus actorum Capituli Generalis.

1. VOlumus autem, quòd cum publicanda fuerint acta Capituli Generalis, pulsata nola capitulari, & congregatis Fratribus, statim Priores Prouinciales, & etiam locales Romanæ Curiæ, &c. ab officijs suis absoluantur, & statim sigilla cum litteris officiorum suorum, reddere non omittant Præsidenti & Diffinitoribus. Vnde statuimus, quòd si contingeret Prouinciales remanere causa infirmitatis, vel alia legitima, habeant per socios suos sigilla cum litteris mittere, sub pœna arbitrio Diffinitorum: quibus redditis, omnia acta, & diffinita legantur, pœnitentiæ denuncientur: similiter & gratiæ pœnarum relaxatiuæ, & ceteræ sententiæ promulgentur. Quibus peractis Præsidens vocet instituendos Prouinciales proprijs nominibus: & prædictos Priores locales sigillatim: qui vocati coram ipso, genua flectentes, & ipse singulis tradendo sigillum Prouincialatus dicat: auctoritate nostra, & de vnanimi assensu Diffinitorum presentis Capituli facimus, ordinamus te. N. Priorem Prouincialem nostræ Prouinciæ N. dantes tibi cu-

ram animarum omnium Fratrum dictæ Prouinciæ, & administrationem omnium bonorum in spiritualibus, & temporalibus, secundum nostri Ordinis instituta. In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Amen. Et ille cum humilitate & reuerentia sigillum recipiat, manum Præsidentis osculando, & dicendo: Deo gratias. Et si ille fuerit absens, dicatur in tertia persona. Nos facimus, & ordinamus talem Fratrem Priorem Prouincialem, vel Priorem nostri Conuentus N. &c.

2. Quibus omnibus institutis, dentur eis litteræ testimoniales, munitæ sigillis Præsidentis, & communitatis Ordinis pendentibus de iniunctis sibi officijs. Et statuimus, quòd nulla littera sigillo communitatis Ordinis, aut cuiuscunque prouinciæ, vel Conuentus sigilletur, nisi coram toto Capitulo cuius est sigillum, & attentè legatur: & nisi etiam à maiori, & saniori parte concedatur, sub pœna falsariorum infligenda, demptis litteris de promotionibus, & officijs lectis, & actis in Capitulis, & in libro communi redactis, aut redigendis.

3. Item statuimus, quòd sigillum commune Capituli Generalis, celebrato Capitulo, & litteris sigillatis in præsentia totius Capituli signatum sigillo Prioris Generalis & Prouincialis, in cuius prouincia fuit celebratum Capitulum, ac Prioris illius Conuentus, cum papyro similiter signato, tradatur Prouinciali, in cuius prouincia futurum Capitulum erit assignatum, & ponatur in Conuentu illo, sub communi custodia diligenter conseruandum: nisi aliter dispositum fuerit per Capitulum Generale.

4. Item statuimus, quòd socij Prioris Generalis iurent in Capitulo, quòd erunt ei, & officio suo fideles: & quòd nullam litteram gratiæ, aut iustitiæ, obedientiæ vel licentiæ, sigillabunt, quæ non sit scripta, aut signata ma-

nu eius in aliqua parte sui:nec sigillari facient, aut permittent,nisi teneant sigillum, aut fuerint presentes & videntes. Item volumus de socijs Prouincialium, & eorum litteris suo modo fieri per omnia & obseruari.

5. Item nullus socius Prioris Generalis, vel Prouincialis,aut.cuiuscunque Vicarij vel Prioris localis, ab aliquo Fratre pro sigillatione qualicunque recipiat aliquod munus,sub pœna grauioris culpæ per quinque dies infligenda.

6. Item ordinamus, quòd omnis falsarius litterarum Prælatorum, aut communitatum Ordinis, si conuictus, aut confessus fuerit carceri mancipetur, quamdiu Priori Generali videbitur expedire.

CAPVT IX.

De terminatione ipsius Generalis Capituli.

1 FInaliter post prædictas institutiones, fiat commemoratio Fratrum,familiarum,Patronorum: benefactorum aut litteras confraternitatis habentium viuorum, per singulas prouincias : & specialiter illorum qui Generale Capitulum notabili eleemosyna visitauerint. Et illis recommendatis, dicatur Psalm. Ad te leuaui oculos, &c. Gloria Patri, & Filio, &c. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. ℣. Saluos fac seruos tuos, ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis. ℟. à facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. ℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum.

Oremus.

PRætende Domine famulis, & famulabus tuis dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, assequantur.

Oratio.

DEus qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti: da famulis, & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis, & corporis: vt te tota virtute diligant & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant.

Oratio.

PRotege Domine famulos tuos subsidijs pacis: & Beatæ Mariæ semper Virginis Patrocinijs confidentes, à cunctis hostibus redde securos. Per Christum Dominum.

Quibus finitis, Præsidens incipiat alta voce: Te Deum laudamus. Et vadant Fratres ad chorum cantando, quo facto dicatur. Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster, &c. Deinde dicat Præsidens. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Emitte spiritum tuum & creabuntur. ℣. Et renouabis faciem terræ. ℣. Manda Deus virtuti tuæ. ℟. Confirma hoc Deus, quod operatus es in eis. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te. ℣. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem spiritu recta sapere: & de eius semper consolatione gaudere.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super cunctas congregationes illis commissas, Spiritum gratiæ salutaris: & vt in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde.

Oratio.

PRætende Domine super famulos tuos dexteram cælestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant assequantur.

Oratio.

DEus virtutum cuius est totum quod est optimum: insere pectoribus nostris amorem tui nominis; & præsta in nobis Religionis augmentum: vt quæ sunt bona nutrias ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias.

Oratio.

ADesto Domine, supplicationibus nostris, & viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: vt inter viæ, & vitæ huius varietates, tuo semper protegantur auxilio.

Oratio.

PRotege Domine famulos tuos; &c.

Quibus cõpletis, omnes corã Præsidẽte prostrati dicãt: Confiteor Deo, &c. Et ipse subiungat. Misereatur vestri, &c. Indulgentiam. Et fiat generalis absolutio super Fratres, prout in Breuiario habetur. Et in fine dicat: Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij & Spiritus Sancti descendat super vos & maneat semper, Amen.

CAPVT X.

De officio Prioris Generalis.

1. PRior G. à toto Ordine vt dictum est, eligatur canonica electione per suffragia secreta ad normam S. Concilij Tridentini: cuius electio cum suo solo consensu, est confirmatio eo facto; vt in priuilegio summorum Pontificum expressè continetur. Qui confirmatus omnimodam potestatem habet in Religione tanquam supremus Præses disponendi, ordinandi, & amouendi ea, quæ amouenda iudicabit ad normam harum Constitutionum. De prouincia ad prouinciam, & de Conuentu ad Conuentum Fratres transferre liberè potest, sine contradictione cuiuscunque.

2. Priuilegia autem siuè Pontificia, siuè regia, & quæcunque alia, de prouincia ad prouinciam, & de loco ad locum, ex causa rationabili etiam transferre, quando sibi videbitur expedire; ita tamen quòd de huiusmodi receptione, & translatione, illis à quibus recipiuntur, litteras faciat fieri testimoniales, & patentes, vt priuilegia, & aliæ res sic translatæ loco, & prouinciæ cuius sunt, restituantur quàm citò fieri poterit bono modo: & sine requisitione. Item in quibuscunque Capitulis Generalibus, Prouincialibus, aut localibus, per se, aut per Vicarios, vel visitatores præsidere, nisi quando in Capitulo Generali culpas suas habet dicere, & Diffinitores habent de eo pertractare, & quando Vicarius missus ad Gen. Capitulum scrutinio facto, non habet amplius præsidere. Ha-

bet etiam Prior Generalis culpas Prouincialium & localium, & aliorum Fratrum subditorum quorumcumque corrigere, & visitationis officium exercere: computa in quibuscunque Capitulis recipere & iuridicè audire. Ad ipsum spectabit Prouinciales electos confirmare, & pro notabili, & manifesta inobedientia, & rebellione, quæ testimonio Capituli Prouincialis, aut localis, rationabiliter excusari non poterit, vel pro omnibus culpis, pro quibus quidem carcerem meruissent, vel iustè vocem, & locum amisissent, de quo confessi & conuicti fuerint, ab officijs absoluere poterit, sine contradictione cuiuscunque. Item poterit Prouinciales destituere: & restituere, consentiente maiori, & saniori parte Capituli Prouincialis, ex causa rationabili quæ ei apparebit rationabilis cum sibi videbitur expedire.

3. Studentes etiam de quibuscunque Prouincijs ad studia generalia poterit mittere liberè: poterit etiam Lectores & alios cuiuscunque dignitatis in quibuscunque studijs generalibus, & alijs ordinare, & mutare quando sibi videbitur expedire. Priores etiam locales ex causa vtili, & necessaria, quando sibi placuerit, absoluere, ita quòd Conuentus habeat potestatem eligendi alium, quem Prior Generalis per se, vel per alium habeat confirmare, nisi idem Prior Generalis de Priore vellet aliter prouidere. Et si Conuentus in electione huiusmodi tertia vice concordare nequiuerit, Prior Generalis prout sibi placuerit, prouidere poterit. In casu autem quòd Prior localis pro demeritis absolueretur præsente Priore Generali, poterit ibidem Priorem constituere de assensu quatuor bonorum Fratrum sine alia electione quacunque. Et si absens fuerit, habet auctoritatem in quocunque Conuentu carente Priore, Priorem instituendi liberè quem pro Conuentu

vtiliorem,ſua prouidentia iudicabit. Poterit etiam Fratres vtiles,& idoneos ad prædicandum licentiare, & nolentes coarctare. Ordinamus, quòd ſocij iurent ei quòd erunt ſuæ perſonæ, & officio fideles. Similiter, quòd ille, qui tenebit ſigillum officij, non ſigillabit aliquam litteram iuſtitiæ vel gratiæ eius manu non ſignatam.

4. Item poterit ponere,& deponere ad libitum Priores Romanæ Curiæ, ac cuiuſcunque Conuentus immediatè ſub eius regimine conſtituti. Similiter Subpriores, Sacriſtas,& alios Officiales dictorum Conuentuum cum ſibi videbitur expedire.

5. Item, Prior Pariſienſis eligatur, & inſtituatur iuxta formam diplomatis Gregorij XIII. Et quia Conuentus Neapolitanus inter cæteros in Italia obtinet principatum, & non procul abeſt à Romana Curia ; iuſtum eſt & expediens, vt eius curam habeat ſpecialem Religionis Pater,ipſumque ſemper teneat reformatum. Ideo ordinamus, quòd R.Pater Ordinis aperiat ſemper oculos,& mentem intendat,vt dictus Conuentus benè regatur, & rationabiliter gubernetur: & in eo deputentur capita immediatè per ipſum, quæ ſint digna regimine tantæ domus: & creſcat deuotionis celebritas, & augeatur in dies Chriſti fidelium concurſus. Sitque regimen dicti Conuentus ſemper in pectore ipſius Reuerendiſſimi Prioris Generalis:qui quoties ſibi videbitur expedire, in ipſo Conuentu ordinet ad libitum ſuum, & abſoluat Officiales.

6. Habet etiam auctoritatem inſtituendi, & deſtituendi Procuratorem Romanæ Curiæ liberè & alium conſtituere quando videbitur ſibi expedire, nonobſtante quod in Capitulo Generali fuiſſet aliquis inſtitutus: vel alio quouis modo,ſimiliter & alios Procuratores ad Reges. Quicunque verò Frater fuerit in Procuratorem Cu-

riæ Romanæ inſtitutus per Capitulum Generale, aut Priorem Generalem, antequam officium exequi valeat, habebit iurare Priori Generali, vel cui commiſerit, quòd erit fidelis perſonæ, & officio ipſius Generalis, & quòd officium Procuratoris fideliter & diligenter exercebit ad honorem, & vtilitatem Ordinis: & quòd in apoſtatis capiendis, de quibus ſibi iniungetur per Generalem vel eius Vicarium, fidelem diligentiam adhibebit: & quòd pro ſe aut pro altero Fratre, aut Prouincia, vel Conuentu nullam ſupplicationem porriget ſine beneplacito Prioris Generalis.

6. Item ordinamus, quòd Conuentus Curiæ Romanæ, vbicunque fuerit Curia, ſit ſpecialiter ſub regimine Prioris Generalis, in tantum, quòd nec Fratrem ponere, nec amouere poſſit Prior Prouincialis, nec Officiarium deſtituere aut inſtituere, abſque Prioris Generalis licentia ſpeciali, ſub pœna inobedientiæ, & rebellionis. Et poterit Prior dicti Conuentus cum diſcreto per Conuentum electo, ire ad Capitulum Prouinciale, immò tenebitur ire, & ibi eligere, & eligi ſicut alij de Prouincia. Ordinantes, quòd Prouincialis Prouinciæ, in qua fuerit Romana Curia pro tempore, propter bonum vtile Ordinis, & honorabile iuret, quòd per ſe, vel per alios Fratres; aut ſæculares directè, vel indirectè, manifeſtè, vel occultè, non ſe opponet præmiſſæ Conſtitutioni; quòd Conuentus Curiæ Romanæ immediatè ſubijciatur Priori Generali: nec ſe intromittet aliter de dicto Conuentu, quàm dicta Conſtitutio ordinat: niſi Generalis ex gratia ſpeciali concedat aliter de præmiſſis aliquid faciendum & iurabit; quòd ſi aliquis ſe oppoſuerit ei totis viribus obuiabit.

8. Poterit Prior Generalis fugitiuos cuiuſcunque Prouinciæ ad Ordinem liberè recipere, & pœnitentiare de commiſſis, & tam cum illis, quàm cum alijs defectuoſis

ſuper pœnitentijs diſpenſare miſericorditer partem pœnitentiæ; vel totam etiam remittere: cum cauſa tamen rationabili & ſufficienti, & in quibuſlibet Prouincijs poterit de idoneitate & moribus præuio examine, profeſſos ad Ordines mittere, ſine aſſenſu cuiuſcunque. Poterit etiam Capitulum Generale, vel Prouinciale mutare, & terminum cauſa rationabili abbreuiare vel elongare. Et hoc idem committere Prouincialibus, aut Vicarijs, quando ſibi videbitur expedire. Volentes, quòd Priores Prouinciales, & locales, ac Vicarij in hoc illi firmiter teneantur obedire. Poterit locum, & vocem his qui amiſerunt reſtituere, & inhabiles habilitare ad ſtudia, gradus, & officia niſi commiſiſſent ſcandala talia, quorum diſpenſationes per Conſtitutiones Generali Capitulo reſeruentur, & idem volumus intelligi de remiſſionibus aliarum pœnarum. Poterit litteras beneficiorum ſpiritualium, & fraternitatis in toto Ordine concedere. Fratres cuiuſcunque prouinciæ à ſententia excommunicationis abſoluere, quam pro iniectione manuum in ſe ipſos, aut apoſtaſia, aut ex Ordinis cenſura incurriſſent: & etiam illos qui relicto ſæculo, Ordini aggregabuntur, excommunicatione & alia cenſura Eccleſiaſtica ligatos, & cum illis ſuper irregularitatis vincula diſpenſare iuxta priuilegia regularibus conceſſa; ita quòd ſi Ordinem exierint diſpenſatio illis facta ſit nullius momenti. Et ſi propter debitum aut iure alterius fuerint prædictis ſententijs ligati, poſtquam intrant Ordinem ſatisfaciant, vt tenentur. Et poteſt Prior Generalis vices ſuas in his committere.

9. Item poteſt Generalis ex indulto Apoſtolico Iulij II. in fauorem regularis obſeruantiæ, omni poſtpoſita appellatione eximere, nedum Conuentus Fratrum, ſed etiam Monaſteria Monialium ſub habitu, & regimine Ordinis exiſtentium à cura, & iuriſdictione Priorum Prouincia-

lium, quamuis secundum Constitutiones Ordinis; & statuta tam Fratrum quàm sororum ac priuilegia Apostolica, necnon fundationes nonnullorum Monasteriorum cautum sit, vt Prouincialibus subsint.

10. Item potest etiam omnia; & singula in toto Ordine facere, quæ Priores Prouinciales in suis prouincijs, & Locales in suis Conuentibus. Et insuper potest facere illa omnia quæ sibi per Constitutiones reseruantur. Item poterit eximere Conuentum vbi moram trahit, ab obedientia Prouincialis, & in toto, vel in parte à solutione taxationis prouinciæ, secundum quod sibi videbitur expedire iuxta temporis ratam. Item eidem committimus interpretationem Constitutionum nostrarum, quando dubium apparebit; non poterit tamen illud quod in Capitulis G. statutum fuerit, vel ordinatum, cassare, vel irritare: sed in exemplum aliorum, illud diligenter obseruare, & ad obseruandum alios efficaciter inducere & coarctare, quia leges condere, & non obseruare est Ordinem illudere, & animas Fratrũ illaqueare; nisi fortè aliquid foret, quod ipsi per has Constitutiones reseruaretur, & esset ipsi commissa facultas idem mutandi, & si videbitur expedire aliter faciendi. Committimus etiam Priori G. quòd possit licentiare Conuentus ad vendendum libros Librariæ, qui inutiles aut duplicati sunt; ita dumtaxat, quòd eorum pretium conuertatur pro alijs libris emendis. Item quòd possit Prouinciales titulares prouinciarum demolitarum propter Hæreticorũ perfidiã instituere de triennio in trienniũ vel confirmare. Etiam cõmittimus eidẽ, quòd possit omnia facere, quæ nos Diffinitores facere possemus ab solutionibus Priorum P. liberè sine culpa; & eorũ institutionibus pro libito, vbi potest fieri electio; & apertione sigilli communis Ordinis dumtaxat exceptis.

11. Item quia congregatio Mantuana immediatè subest obedientiæ Reuerendissimi Patris Ordinis

præterquam in expressis litteris Eugenij IV. datis in fauorem ipsius Congregationis Prioris Generalis virtute concordiæ factæ à Gregorio XIII. inter Religionem, & Congregationem, liberè potest præsidere Capitulis ipsius Congregationis, necnon post celebratum ab ipso primum Generale Capitulum visitare omnia illius Monasteria Fratrum, & Monialium, Prælatos, & personas, illosque & illas in capite, & in membris corrigere iuxta iura, & constitutiones, quæ viuendi rationem, & mores respiciunt, & alia visitationis munus concernentia facere iuxta primas, & secundas litteras Eugenij IV. Et sic deinceps singulo quatriennio. In qua visitatione spatio vnius anni persoluenda, liberè potest procedere, in grauioribus tamen tenetur adhibere aliquas personas prudentes ex ipsa Congregatione, quæ sibi videbuntur, potestque in ipsa visitatione secum adducere quatuor, vel quinque personas, & totidem equitaturas. Per primum autem Capitulum Generale celebratum à Generali post quod Generalis potest visitare dictam Congregationem, illud intelligendū est in quo ipse fuerit electus Generalis vt motu proprio declarauit Clem. VIII. Et si interim necessitas alicuius correctionis obuenerit ob deffectum, & negligentiam Vicarij Generalis poterit huiusmodi correctio per Priorem Generalem alicui Prælato Congregationis demandari. Correctiones autem, & punitiones, quæ post visitationem ipsam faciendæ, vel exequendæ erunt Prioris Generalis intra domos eiusdem Congregationis per Superiores, & Prælatos eiusdem fieri curabit.

12. Sciat Reuerendissimus Pater Ordinis, quod habet quidem plenam potestatem dispensandi in his Constitutionibus, non tamen sine iusta, & legitima causa, non est autem censendum eum dispensare, nisi id ipse in litteris patentibus expresè dicat. Quòd si ab eo emanauerint

contra has Constitutiones aliquæ litteræ sine expressa earum derogatione, illæ habendę sunt tanquam surreptitiæ, & nullæ ac si nunquam fuissent datæ : decreta tamen Concilij Tridentini siue Pontificia Clem. VIII. pro reform. Regul. nec declarare, interpretari aut relaxare potest.

13. Item ordinamus quòd Priori G. & eius socijs, ac seruitoribus cum Procuratore in Curia Romana prouideatur pro vestiario, & victu, ac alijs necessarijs spectantibus ad officium Generalatus, pro conseruando, & manutenendo Ordine, tam in Curia, quàm alibi, à tota communitate Ordinis, secundum taxationem reformatam in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1625. & similiter prouideatur pro expensis faciendis in causis, & negotijs communibus, per ipsum Priorem Generalem expediendis.

14. Item ordinamus, quòd taxationes pro vestiario, & victu Prioris Generalis mittantur, vel soluantur ipsi Priori Generali vbicunque fuerit, seu de eius mandato suo Vicario, aut Fratri ad eas recipiendas deputato : & soluantur quotannis à Reuerendis Prouincialibus in festo Pentecostes, liberé, & absque vlla contradictione, sub pœna priuationis ab eorum officijs. Et quod dictum est de vestiario Reuerendissimi Patris Generalis soluendo à Prouincialibus in Festo Pentecostes, intelligendum etiam est de vestiario Procuratoris Ordinis in Romana Curia.

15. Item ordinamus, atque decernimus, quòd iuxta consuetudines multis iam sęculis approbatas. R. Magister Ordinis in solemni visitatione habeat & habere debeat totam taxam Prouinciæ, quam visitabit, Prouinciali dari solitam, nonobstante quocunque in contrarium. Quia iustum est, & rationi consentaneum, vt quòd antiquiores nostri Patres cognouerunt esse conueniens, & necessa-

rium, & longum in vſum miſerunt, nullo modo temerè à poſteris debeat prætermitti. Cum præſertim ad conſeruandum officij Generalatus honorem, tum Romę, tum vbique: ne aliorum ordinum officijs viliùs appareat, multos, & quandoque non æſtimabiles ſumptus fieri oporteat, neque vllo modo videatur expediens de iuribus Prioris Generalis quidquam ſubtrahere: quando impium eſt ſua cuique, & debita iura non dare. Nec ideo Prouincialis conſuetis ſuffragijs prouinciæ priuetur. Ita tamen etiam quòd ipſe Reuerendiſſimus P. Generalis reditus, aut præſtationes peculiares quas ratione officij habet, accepta omnia & expenſa in libro diſtincto fideliter & diligenter adnotari curet, neque in alios vſus, quàm ratione officij ſui neceſſarios quidquam expēdat. Cum vero contigerit ipſum in aliquo Conuentu commorari, eam pecunię quantitatem in commune conferat ex qua ſibi, & ijs qui ſecum erũt victus ad pręſcriptum Regulę & conſtitutionum ſuppeditetur.

16 Item ſtatuimus, quòd ſi Prior Generalis reſignauerit officium, in omni electione & quocunque actu alio immediatè ſit poſt Priorem Generalem, ſi præſens fuerit; & quoſcunque alios Fratres Ordinis præcedat vbique, cuiuſcunque gradus, & officij, & conditionis fuerint: & in omni Capitulo Generali vel Prouinciali ſit primus Diffinitor ſemper. Mandantes, quòd ei prouideatur pro veſtiario, & victualibus penſata ætate & neceſſitate ipſius, iuxta Regulam noſtram. Item Prior Generalis ab officio abſolutus, vel reſignans, poteſt ſibi eligere prouinciam de tota religione, & in ea Conuentum ad manendum, quem voluerit, ita tamen, quòd ſi in eadem prouincia voluerit mutari de Conuentu ad Conuentum, hoc faciat de ſpeciali licentia Generalis Conuentus ad quos declinauerit, abſolutè ipſum recipiant reuerenter, & in neceſſarijs intra Conuentum, proui-

ficant competenter: sed in itinere non tenentur prouidere in expensis. Statuentes, quòd ipsi absoluto, vel resignanti, fiant expensæ de communi Ordinis à loco Capituli Generalis vsque ad Conuentum quem elegerit. Et hoc idem socijs suis, si cum eo remaneant in futurum.

CAPVT XI.

De Capitulo Prouinciali, quando, & de quibus Capitulum Prouinciale sit celebrandum.

1. CVm eo potissimùm fine de triennio in triennium Capitula Prouincialia celebrentur, ne temporis vitio recidant, quæ à Patribus nostris sanctè stabilita sunt & religiosè constituta: aut si quæ charitate refrigescente interijssent firmiùs restaurentur. Maximoperè cauendum est, nedum Prælati & Superiores tanquam boni Agricolæ semina sanctarum ordinationum seminant, veniat inimicus homo, qui ordinatè congregata disperdat, & in agro Carmelitano superseminet zizania.

2. Quare ordinamus, quòd in singulis Conuentibus Prouinciarum fiant speciales orationes & preces ad Deum ab eo tempore incipiendæ, quo Capitulum Prouinciale inchoabitur, quo primo die Missa de Spiritu Sancto cantetur in singulis Conuentibus pro fœlici initio, faustisque capiendis auspicijs Capituli, & infrà hebdomadam die Lunæ commodo Missa de officio defunctorum pro defunctis Fratribus & benefactoribus Ordinis.

habeant vocem & locum socij, qui fuerunt in præcedente electi ituri ad Generale Capitulum, dato etiam quòd non interfuissent Generali Capitulo, modò actu celebratum fuerit, si fecissent quod in se fuit vt accederent: & ostendere habent quo legitimo impedimento occurrente non valuerint interesse, vt putà infirmitate, deprædatione, violentáue detentione, quod quidem discernere habeat Capitulum Prouinciale. Si intermedio illo tempore celebratum non fuit Capitulum Generale, vocem & locum ea ratione non habeant dicti socij in Capitulo Prouinciali subsequente.

9. Prior Prouincialis aut Vicarius Prouincialis absolutus in Capitulo Generali & etiam Vicarius electus in Custodem prouinciæ, dato etiam quòd Prouincialis custodisset prouinciam, & non accessisset ad Generale Capitulum, erunt gremiales, si intersint, & valeant omnes præfati eligere & eligi, nisi aliud impedimentum legitimum obstaret; & volumus hoc intelligi solùm de Capitulo Prouinciali quod celebrabitur post illud Generale.

10. Item cum elapsi triennij Diffinitores in regimine prouinciæ adfuerint Prouinciali, & ei consilium & auxilium in agendis grauioribus negotijs præstiterint, Capitulo P. cum voce & loco interesse tenebuntur, & omnes gremiales post Præsidentem & Prouincialem præcedent vsque ad nouorum Definitorum electionem, quibus electis, si alio titulo non fuerint de gremio Capituli, exeant & locum suæ professionis teneant.

11. Et quoniam vbi non est ordo, omnia confusè & tumultuariè fiunt, & sæpè dissentiones plurimæ suboriuntur; Ordinamus quòd in Capitulo Prouinciali assidebit primo loco Præses, deinde Prouincialis nouiter electus, tertiò Prouincialis officio functus, Diffinitores deinde ordine suæ electionis, consequenter locum habebit

Prior Capituli, & cęteri Priores obseruato antiquitatis Conuentuum discrimine, quos immediatè consequentur tùm socius Præsidis, tùm socius Prouincialis, postea socij Priorum eadem serie antiquitatis Conuentuum; qui ordo durante Capitulo in omnibus actibus & processionibus seruabitur.

12. Socij habeant authoritatem ad omnia quæ in Capitulo erunt facienda, ac si omnes fratres Conuentus personaliter interessent. Declarantes quòd si in aliquibus domibus nostris sint Superiores aliqui sub nomine Prioris constituti, qui quatuor fratres vocales & locales à sex mensibus actu residentes non habuerint, tales Priores non habent vocem & locum in Capitulis Prouincialibus, sic ut nec locorum nouorum Vicarij; neque Prouincialis consentientibus etiam gremialibus omnibus poterit eis vocem & locum dare, nonobstante quacunque consuetudine aliquarum Prouinciarum, sub pœnis vsurpantium officium maiorum.

13. Si euenerit casus vt Conuentus in quo degere solent fratres vocales numerum quaternarium, vnà cum ipso Superiore excedentes ob aliquod infortunium non valeat sustentare tot vocales, qui pro electione socij Prioris ituri ad Capitulum sufficiant, nihilominus si Pater Prouincialis ante sex menses immediatè futuram socij electionem præcedentes, in eo sufficientem numerum vocalium locauerit, ab illo poterit socius eligi, & cum eo ritè electo Prior Capitulo Pouinciali interesse.

14. Item sub eadem pœna non præsumant Prouinciales in Capitulis suis Priores nouos aut socios creare, pro aliorum absentia.

15. Socij canonicè in Conuentibus electi, de sua electione facere debent fidem per litteras sub sigillo communi Conuentus, aliter Capitulo non possunt interesse.

16. Item nullus ſit gremialis in Capitulo Prouinciali, niſi à ſua profeſſione compleuerit tres annos in Ordine.

17. Socius Prioris eligatur octo diebus, ſaltem antequàm recedat Prior, ſeu Vicarius iturus ad Capitulum: qui ſecus fuerit electus carebit voce & loco in dicto Capitulo.

18. Item nullus frater ab vllo Conuentu poſtquam electus fuerit ſocius ad Capitulum mutatus habebit vocem in electione ſocij in Conuentu ad quem mittitur, etiam ſi in eius obedientia habeatur quòd ſibi datur vox & locus.

19. Cæterùm ſub pœna priuationis vocis & loci ipſo facto in dicto Capitulo, nullus de vocalibus accedat ad Capitulum Prouinciale antè vigiliam vigiliæ, ſcilicet dum in craſtinum eſt Capitulum inchoandum, ſine expreſſa licentia Prouincialis, ſeu Præſidentis.

CAPVT XII.

Litteræ ſocij ituri ad Capitulum Prouinciale

1. REuerendis in Chriſto Patribus Priori, vel Vicario Prouinciali ſeu Commiſſario Generali, & Diffinitoribus Capituli Prouincialis anno N. & die N. in feſto N. in Conuentu N. celebrandi, Ordinis Beatiſſimæ Dei genitricis & Virginis Mariæ à monte Carmeli,

ſui humiles filij & ſubiecti fratres de gremio Capituli Conuentualis Conuentus N. in eodem N. in feſto N. anno N. & die N. celebrati, obedientiam debitam & Sancti Spiritus Conſilium in agendis .... Venerandæ diſcretioni veſtræ pateat euidenter, quòd nos in dicto loco & tempore, pro præfato Capitulo noſtro celebrando cum ad electionem ſocij noſtri Prioris ituri ad Capitulum Prouinciale ſupradictum procederemus, & eſſemus oo. eligentes, ſcilicet talis & talis nemine indebitè excluſo vel admiſſo, Frater N. habuit vota oo. Frater N. oo. & Frater N. oo. ex quo patet Fratrem N. fuiſſe legitimè & canonicè electum, cui ſic electo damus licentiam, & authoritatem noſtram, atque poſſe eligendi, conſtituendi, amouendi, definiendi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto Capitulo Prouinciali, quæ facere poſſemus, ſi omnes præſentes eſſemus, ratum & gratum habentes, quicquid factum fuerit per eumdem. Datum & actum loco & tempore quibus ſupra. In quorum teſtimonium ſigillum commune noſtri Conuentus præſentibus eſt à tergo impreſſum. Ordinamus quòd in litteris præfatis nomina eligentium non exprimantur, nec apponant chirographa ſua, ſed ſolum ſigillum commune in præſentia electorum Conuentus; aduertant autem noſtri regulares nominandos expreſsè ac deſcribendos eſſe in prædictis litteris eos omnes quos habuiſſe vota contigerit, vt fortè decedentium locus & numerus ſuppleatur, deficiente ſocio electo.

CAPVT XIII.

De forma celebrandi Capitulum Prouinciale.

1. CVm venerit vigilia vigiliæ de mandato Prouincialis officium depositurì, vel alterius qui congregauerit Capitulum si nondum constiterit de Præside instituto à Priore Generali, statim post decantatas Vesperas ad signum campanellæ ter pulsatæ fiat signum congregandi Capitulum, quo audito omnes gremiales festinanter conueniant ad Capitulum, vel ad alium locum vbi decenter adesse possint, sicut ipsi Prouinciali videbitur expedire, quibus consedentibus Prouincialis verbum habebit opportunum, quo expleto præsentabuntur, & explicabuntur litteræ Reuerendissimi Patris Ordinis, si quæ extiterint, virtute quarum aliquis fuerit illius Capituli institutus Præsidens de obseruantibus harũ constitutionum assumendus, qui pro tali ab omnibus habebitur, illique debita præstabitur obedientia, primò à Priore Priouinciali, deinde ab alijs successiuè; qui Præsidens fungetur deinceps officio suo. Si nullæ fuerint litteræ Patris Ordinis præsentatæ, Prior Prouincialis Præsidentem Capituli declarabit, & pronunciabit primum Definitorem præcedentis Capituli. Eodem die Præsidens eliget sibi socium, qui sibi benè visus fuerit, qui tamen priùs non dederit suffragium in electione socij alicuius Prioris ituri ad idem Capitulum. De-

inde Præſidens notificabit gremio nouæ electionis Prouincialis die craſtina futuræ cauſam: implorandumque eſſe diuinũ auxiliũ pro negotio tam graui ritè peragendo, & quòd omnes gremiales debeant facere sacrũ, vel ſaltem ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ refici ſub pœna priuationis vocis actiuæ. Eodẽ tẽpore fiat à Præſidente, & Prouinciali officium depoſituro, aſſiſtentibus Definitoribus in vltimo præcedenti Capitulo Prouinciali electis, tabella officiorũ & officiariorum Capituli quorũcunque; inſtituãt nẽpè PrioréCapituli, Subpriorẽ, ſeu moderatorẽ chori, Auditores cauſarũ criminaliũ & ciuiliũ, examinatores admittendorum ad confeſſiones, ad ſtudia, ad ordines, & recipiendorum ad habit Religioni, reuiſores librorum, & Curſores Capituli; inſtituatur pariter ordo proceſſionum, ſi quæ ſint faciendæ, concionum habendarum, tam intra, quàm extra Eccleſiam Conuentus, & diſputationum, ita vt cuique concionatori, Regenti ſeu Præſidenti, & Reſpondenti dies & hora aſſignetur. Die ſabbathi aſſignata, ſcilicet vigilia feſti nonobſtante cuiuſcunque abſentia inchoetur, & celebretur Capitulum, & primò ſummo manè dicatur ſolemniter miſſa de Spiritu ſancto, cui omnes de Capitulo cum cappis adeſſe volumus. Poſt miſſam celebratam, è ſuggeſtu ſeu pulpito ſermonem latinum, ſeu orationem pronunciabit aliquis Religioſus, qua abſoluta fiat commemoratio fratrum noſtrorum, familiarium, Patronorum, benefactorum, & litteras confraternitatis habentium defunctorum ex ſingulis Conuentibus prouinciæ, ab vltimo Capitulo Prouinciali celebrato. Quæ ſolemnis defunctorum Ordinis fratrum, ſeu amicorum commendatio ſermone vulgari ad R.P. Præſidem alioſque prouinciæ Patres clara, & intelligibili voce, verbis grauibus conciſis quidem, ſed ad veram laudis commendationem compoſitis, & præmeditatis debet haberi à Conuentuum diſcretis, niſi eorũ lo-

co,& vice Priores id exequantur. Iis autem ritè peractis Ps. De profūdis. Kyrie eleyson. Et ne nos. Domine exaudi. Absolue quæs. &c. Deinde ab omnibus gremialibus & cæteris genuflexis coram sanct. Sacramento fiat oratio mentalis, vsque ad signum Præsidentis, interim pulsabitur cāpanella pro signo Capituli, ad quā pulsationē Præsidēs hymnum Veni Creator Spiritus, inchoabit cantu solemni, choro prosequente, & ordinatè procedent omnes ad locum pro celebrando Capitulo designatū, vbi hymno decantato omnibus genuflexis dicatur à Præsidente Kyrie eleyson, & confestim stando, versus & oratio Deus qui, &c. Locus Capituli modestè, & honestè sit præparatus in eo effigies Christi crucifixi appensa sit super aliquo altari deuotè præparato, sedes dispositæ chartæ, calami, & cætera ad scribendum necessaria, vrna ad vota recipienda: habeātur similiter foculi mensarij ad schedulas suffragiorum electionibus factis conburendas. His dictis, & exclusis omnibus, qui non sunt de gremio Capituli, sedentibus Præsidente Capituli, Prouinciali, assidentibus antiquis Definitoribus, & socijs tum Presidentis cùm Prouincialis cæterisque de gremio ordine suo videātur & attētè discutiantur litteræ discretorum, seu sociorum, & suarū electionū testimonia, an ritè, & canonicè venerīt, & electi fuerint. Facto predicto scrutinio, immediatè culpæ Priorū audiātur, & quilibet Prior antequā culpā dicat meminerit inter man⁹ Presidentis deponere suæ dom⁹ statū in Definitorio aperiēdū, & discutiendū Conuentus discreto præsente, nā Priores Cōuentuales debent portare secū sub sigillo Cōuentus sciente socio statum domus suæ, scilicet rerum Sacristiæ, Librariæ, comestibilium, potabilium omnium, prouisionum qualitatem, & numerum, & breuiter rerum omnium notabilium Conuentus, & si quæ ex proximè præcedenti Capitulo fuerint perditæ, venditæ, vel alienatæ quouis modo, & debita omnia tàm actiua,

quàm passiua in culpa sua præsentet Præsidenti, sub pœna priuationis vocis & loci eo facto, quo negligenter amiserint præfatum scriptum, & super his, & alijs, quæ occurrere possunt, accusationes Conuentuum à discretis recipiantur, & depositiones testium recitentur in omnium præsentia, sine expressione nominum testificantium, nisi euidens necessitas hoc requirat, & si tales sint culpæ, propter quas secundum statuta Ordinis amisissent vocem & locum, ipso facto excludantur à Capitulo, nec Præsidens possit cum eis in hoc dispensare, nisi in fine Capituli de consensu Definitorum, quorum consilio pensata culparum grauitate, & qualitate, pœnitentia eis iniungatur. Culpis auditis & eiusmodi accusationibus, & depositionibus examinatis, Præsidens gremiales alloquatur, interrogando an sciant aliquod impedimentũ propter quod aliquis pręsentium gremialium non debeat habere vocem, & locum, & si reperiantur aliqui statim antequàm vlteriùs procedatur dimittantur: pręfatum examen fieri poterit prima sessione diei præcedentis (si gremio placuerit) statim ante electionem Officialium & altera die quæ sequuntur, postea secretarius surgens dicat, hi sunt R-R. P.P. qui in electionibus huius Capituli, vocem & locum habebunt nominando singulos electores per ordinem, quibus ex commissione Patris Præsidentis præcipiet in virtute sanctæ obedientiæ, ne vllus ante completas omnes sessiones & actiones Capitulares, & absolutas gratiarum actiones, è loco Capituli absque expressa eiusdem Præsidentis licentia discedat. Denique pro maiori electionum quæ in Capitulo faciendę sunt firmitate & conscientiæ gremialium tranquillitate, esto nihil fuerit oppositum eos absoluet R. P. Præsidens, & cum eis dispensabit in hunc modum, omnes gremiales genuflexi dicent Confiteor, &c. Et Pater Præsidens subiunget, Misereatur vestri, &c. Indulgentiam, &c. Ego

N. auctoritate, &c. in quantum se extendunt gratiæ & priuilegia regularibus indulta & concessa absoluo vos à quauis sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti, & à quibusuis alijs sententijs & pœnis quatenus opus sit, dispenso vobiscum super quauis irregularitate (dummodo censuras, sententias, pœnas, & irregularitates huiusmodi ob defectus ad electiones faciendas in isto Capitulo pertinentes non incurreritis) ad effectum legitimæ electionis, vosque legitimos vocales declaro in nomine Patris, & filij, &c.

CAPVT XIV.

De electione Definitorum.

IIs expeditis procedatur ante omnia ad electionem Definitorum quos prudentia, experientia, doctrina & sanctitate præstantes adiutores habebit Prouincialis, horum opera, & consilio in gubernatione prouinciæ vti debebit, nec ab eorũ sententia temerè discedere. In hac electione quilibet gremialium eligat per suffragia secreta quatuor Fratres etiã gremiales, qui non fuerint in vltimo Capitulo Definitores eos nominando singulatim. Prior autẽ Generalis si ibi præsideat, vel eius Vicarius in eius absentia; & Prouincialis, & eorum socij habeant vota; qui plura vota in electione habuerit erit primus Definitor, qui verò plura post illum erit secundus & sic de alijs: si plures æqualia vota habuerint teneant ordinem suæ professionis. Tunc sint præparatæ schedulæ à Secretario de eadem charta sine vllo puncto vllouè signo notatæ eiusdem longitudinis & latitudinis, quot erunt necessariæ pro

omnibus electionibus in quibus ex vna parte sit eadem manu scriptum iuramentum de eligendo meliore, de mãdato Clement. VIII. quamcunque ante electionem præstandum sub hac forma. Ego testem inuoco Iesum Christum, qui me iudicaturus est, quòd eligo quem secundum dictamen meæ conscientiæ censeo probiorem, & magis idoneum, ex altera verò parte scripta sint hæc verba: Ego eligo in Definitores P. P. N. Ita vt nihil desit scribendum nisi nomen electi, vel electorum, & sic fiet in omnibus electionibus. Aduertendum est quòd de mandato Clem. VIII. priusquam deueniatur ad quamcunque electionem, prælegendæ sunt constitutiones de qualitatibus & requisitis eligendorum. Itaque licet omnes simplices sacerdotes qui habent quinque annos expletos professionis, & sunt in ætate triginta annorum esse possint Definitores, nihilominus non omnes ad tantum munus apti sunt, ad eos enim spectat vnà cum Patre Præsidente singulis prouinciæ Conuentibus de idoneis Prælatis prouidere, de delictis & excessibus Patris Exprouincialis cognoscere, illumque cogere ad reddendam rationem de receptis & datis pro prouincia, statuta facere pro regimine prouinciæ, & in toto triennio futuro, Prouinciali in grauioribus negotijs assistere: Quare P. P. gremiales insigniores tùm doctrina cùm moribus curabunt in Definitores eligere; cum autem iure communi in electionibus per scrutinium faciendis, tres sint assumendi scrutatores de collegio, tot ex electoribus Capituli eligantur eo modo quo Definitores; prout inferiùs describitur, & notandum est quòd in omnibus electionibus (Definitorum & scrutatorum his exceptis) si electus fuerit præsens habere debet duo vota vltra medietatem, absens verò vnum tantùm. Horum scrutatorum munus erit singula vota eligentium complicata in vrna recipere, eadem extrahere, & enumerare, aperire, le-

gere & publicare. Imò ſiquis gremialium eſſet infirmus, & non poſſet perſonaliter ad locum Capituli accedere. P.P. ſcrutatores ad eum pro accipiendo eius ſuffragio ſe conferre debebunt, cumque fuerint nominati ante Præſidem iurabunt ſe fideliter quæ ad officium ſuum pertinent, ſincera cum mente præſtaturos. Publicatis igitur ſcrutatoribus, Pater Secretarius Capituli ſurgens dicat. R. R. P. P. in nomine Domini ad danda ſuffragia accedite, & incontinenti ſinguli gremiales, & primus omnium Pater Præſidens accedens ad altare genufle-ctat coram Crucifixo, & genuflexus, ſignans ſe cruce in nomine Patris, &c. Legat iuramentum à tergo ſchedulæ ſcriptum, deinde ſurgens, & duobus digitis clauſum ſuum ſuffragium oſtendens, illud in vrnam mittet, factaque inclinatione altari ad ſuum locum redibit, & hic modus, hæcue forma dandi ſuffragia in omnibus alijs electionibus ſeruanda erit; ſicut & quæ ſequuntur. Datis ab omnibus ſuffragijs vnus ex ſcrutatoribus illa extrahet, numerabit, & euoluet, eaque viſa alijſque duobus ſcrutatoribus oſtenſa leget publicè, & interim dum ſchedulæ perleguntur Secretarius Capituli vnumquodque ſuffragium in ſcriptis rediget, electorum nomina percontando, quod etiam à quibuſdam alijs gremialibus à Præſide deſignandis pariter fiet: poſtea collatio numeri ad numerum per ſcrutatores fiat, vt appareat quinam remanſerint legitimè electi, & omnes alij qui pauciora poſt illos quatuor qui remanent electi habuerunt vota, ſunt adnotandi in libro prouinciæ per ordinem ſecundum numerum maiorum ſuffragiorum, vt ex eis poſſit suppleri numerus Definitorum, ſi caſus euenerit faciendi ſupplementi. Publicatis ſuffragijs Definitorum Pa-

Pater Præsidens ter alta voce interrogabit gremiales, an habeant illam electionem pro legitima & canonica, & si quid fuerit ei oppositum, Pater Præsidens oppositiones cum Prouinciali, antiquis Definitoribus, & socio Prouincialis statim summariè examinabit, determinabitque an electio sit firmanda vel infirmanda, & ad aliam procedendum, si autem nulla fiet oppositio, dicet. Ego nomine meo & omnium istorum gremialium eligo in Definitores præsentis Capituli nostræ Prouinciæ N. R. R. P. P. Fratrem N. & Fratrem N. & incontinenti, hi quatuor Patres electi accedent ad Patrem Præsidentem, & coram eo genua flectent, ipseque eos confirmabit, dicens: Ego N. auctoritate N. Confirmo vos in Definitores præsentis Capituli, dans vobis omnem auctoritatem, & potestatem quam cæteri Definitores huiusmodi Capitulorum secundum statuta nostra habere solent: in nomine Patris, &c. Qui sic confirmati deosculata manu Præsidentis sedebunt post Prouincialem ordine suæ electionis:& qui fuerant elapso triennio Definitores recedant à gremio, nisi alia ratione habuerint votum; in Capitulis & annuis congregationibus Definitores post Priorem Prouincialem loca prima occupent; extra verò in Conuentibus locum suæ professionis, nec ibi appellentur Definitores, & in communis ac regularis vitæ actibus bonum exemplum alijs præbeant, in quo si defecerint communiter à Prioribus locorum admoneantur & corrigantur tanquam ipsorum subditi.

CAPVT XV.

De culpa Prioris Prouincialis facienda.

ELectis Definitoribus Prouincialis coram Præsidente & Definitoribus ac toto gremio Capituli dicat culpas suas, & humiliter, mansuetéque audiat accusationes Conuentuum, & si compertus fuerit, vel per eius confessionem, vel sufficientem probationem, reus talis culpæ, propter quam secundum statuta Ordinis vocem amiserit, ipso facto ea priuetur, & à Capitulo discedat: nulla autem ei alia iniungenda pœnitentia, donec fuerint eius culpæ in Definitorio visæ, & diligenter discussæ. Nullus Prouincialis potest ante completum suum triennium sponte renunciare officio suo absque Prioris Generalis licentia, & si illa obtenta sponte renunciauerit, poterit esse de gremio Capituli, non tamen de Definitorio nisi eligatur. Audita Prouincialis culpa præsidens suscepto eius officij sigillo eum ab officio Prouincialatus absolutum declarabit, monebitque gremiales, vt statim de alio idoneo prouideant, qui ijs qualitatibus & conditionibus sit præditus, quò durante sui officij tempore bonum tum spirituale tum temporale augere, & Prouinciam prudenter & religiosè regere possit.

CAPVT XVI.

De electione Prouincialis.

MOrtuo Priore Prouinciali, assumpto vel quouis modo amoto, etiam eo personaliter assistente, & de gremio remanente. Si Prior Generalis non fuerit præsens, aut eius Vicarius, vel aliquis Presidens specialiter ab ipso Priore Generali deputatus, Præsidente, vt dictum est, primo Definitore, gremiales ad Prioris Prouincialis electionem antequam aliud definiatur procedant. Vtque in religione nostra (quod ipsius intentum est) eligantur semper Prouinciales, & Priores religiosi magis reformati, magisque reformationis, & obseruantiæ regularis zelatores : ideò iuxta decreta Capitulorum Generalium Patauij, & vizentiæ annis 1532. & 1539. celebratorum aliorumque consequutorum passim, donec prouinciæ fuerint totaliter reformatæ, & nulla remanebit suspicio dé electione capitis non reformati, de qua suspicione, soli iudicio Generalis standum erit, in illis, sicut & in alijs non reformatis, vnus in Prouincialem eligi poterit ex ijs qui fuerint nominati, & præsentati gremialibus Capituli à Priore Generali, vel eius Vicario de ipsius assensu, & qui fuerit habilis ad docendum, simul probatæ vitæ, compleueritque in Ordine annos decem, & nunquam ab eodem apostatauerit, non tamen cogantur. Cæterùm ne contingat Reuerendissimum Patrem in huiusmodi nominatione digniores omittendo, minus dignos ob non habitam debitam eorum

notitiam cum Religionis detrimento gremialibus proponere, debet omnem adhibere diligentiam vt veram & certam habeat cognitionem omnium,& singulorum Patrum grauiorum cuiuscunque prouinciæ, vt ex eis valeat secundum rectum dictamen conscientię,consideratis omnibus considerandis, magis benemeritos, & idoneos nominare. Si tamen contingeret prouinciam aliquam quæ cœperit reformari,Patrum in reformatione professorum ad reformationem promouendam aptorum, aliarumque præfatarum conditionum non habentium esse expertem, eligi poterit alius ex reformatis alienæ prouinciæ à Reuerendissimo Generali, vt dictum est,nominandis. Prouincialis absoluto triennio sui prouincialatus non reeligatur, neque assumatur ad eam dignitatem, & officium in eadem prouincia, nisi per sexennium integrum vacauerit: poterit tamen Prior Generalis super hoc iuxta locorum,& temporum varietates,& rerum occasionumque necessitates dispensare, & aliter ordinare. Item ad viam ambitus præcludendam, & plurima alia inconuenientia impedienda, quæ in Prouincialis electione, quandoque ex Præsidentium potestate oriri possent, prohibetur ne Præsidens Capituli Prouincialis in Priorem Prouincialem possit eligi, eiusque electionem irritam esse volumus. Electio Prouincialis fiat per vota secreta non publicatis nominibus eligentium, iuxta decretum sac. Conc. Trid. nec vllomodo fiat per absentium, nisi modo & casu prænotato capite 14. sed præsentium dumtaxat vota legitimè habentium vocem & locum in Capitulo. Omnes Patres gremiales cum silentio, & magna animi attentione ad Deum constituti (quod in omnibus electionibus obseruari exactè peroptamus) perlectis constitutionibus de requisitis eligendi in Prouincialem, procedent ad eius electionem per secreta suffragia, seruata forma de qua

ſuprà in electione Definitorum,& curent gremiales, ſub animarum ſuarum graui periculo, fideliter eligere eum, quem ad hoc officium exiſtimauerint digniorem, virum maturum ætate, zelo accenſum,prudentia præditum, cæteriſque qualitatibus prænotatis ad regimen animarum requiſitis ſufficienter ornatum. Nulli vocalium liceat colloqui, ſuum mutare locum, aut per Capitulum aliquo modo diuagari, niſi vt dictum eſt ad deferendam ſchedulam, ſub pœna expulſionis, & priuationis vocis & loci. Prouincialis habeatur electus ille in quem pars maior, & ſanior conuenerit omnium eligentium; ita videlicet, vt pars ſua partes alias ſimul iunctas excedat, quòd ſi non excedat, reïteretur electio vſque tertiò,& ille tunc,in quem maior & ſanior pars conuenerit,Prouincialis cenſeatur. Quòd ſi duo pares in votis fuerint, qui priùs profeſſionem emiſerit, ſit Prouincialis, & ſeruatis quæ ſuprà in Cap. 14. Præſidens interponet decretum electionis in hanc formam. Ego N. nomine meo, & nomine omnium eligentium eligo & denuntio R. P. N. Prouincialem huius Prouinciæ N. In nomine Patris, &c. Et tradet illi Præſes ſigillum officij Prouincialatus: tunc ſurget, & poſt Præſidentem accipiet locum. Et iſtud decretum nullatenus eſt omittendum,quia in eo eſſentialiter conſiſtit electio, & emiſſio ſuffragiorum eſt tantùm quoddam præambulum neceſſarium,ad inueſtigandum gremialium voluntatem, & ad cognoſcendum in quem ipſi conſenſerint, & pronunciato prædicto decreto,tunc abſoluta eſt, & completa electio. PoſtquamProuincialis fuerit declaratus ritè electus, tenetur in ipſo Capitulo vnum ſocium pro viſitatione prouinciæ ſibi eligere, quem ſemel electum, ſine iuſta cauſa,mutare non poteſt, & ſocius electus in eodem Capitulo debet Prouinciali fidelitatem iurare. Electus ſic Prouincialis in litteris Capituli dandis non ſe Prouincia-

lem

lem simpliciter nominet, sed electum in Prouincialem, donec à Reuerendissimo Patre Generali confirmationem suæ electionis obtinuerit, quam prædictus Prior Generalis mittere tenebitur, nisi in ipso, vel electoribus, vel electione error euidens appareret, quem errorem ab ipso Priore Generali iudicandum determinamus. Prouincialis ità canonicè electus, ius & auctoritatem, statim post electionem habeat, nec Prouincialis absolutus vllo modo sese in regimen prouinciæ intromittat; si autem contigerit vnum de Definitoribus in Prouincialem eligi, tunc statim post electi pronunciationem alius substituatur Definitor loco eius de his qui post electos plura habuerunt vota. Si verò absentem contingat aliquem eligi in Prouincialem, ordinamus quòd per litteras sigillo communi prouinciæ sigillatas, eius electio à Præsidente, & Definitoribus ei insinuetur, & modus & forma electionis nomina eligentium penitùs subiicendo. Si contingat in eodem anno occurrere Capitulum Generale, & Prouinciale, ad tollendas expensas & multa alia incommoda vitanda, statuimus quòd Capitula Prouincialia, & Prouincialium, sicut & Priorum officia, ad alium annum prorogentur, in nationibus quarum extra terminos celebrabitur Capitulum Generale, nisi Capitulum Generale de nouo Prouinciali prouiderit.

CAPVT XVII.

De electione sociorum Prouincialis ituri ad Generale Capitulum & Definitoris.

NOuo Prouinciali electo absque mora etiam si nihil certum sit de Capitulo Generali celebrando infrà proximum triennium eligantur ei duo socij, in qua electione, neque Prior Generalis nec Prouincialis electus vocem habent. Ordinamus quòd non possit eligi in socium eiusmodi, nisi fuerit aliàs Prior, lector Theologiæ, aut Philosophiæ, vel insignioris meriti, & sciat ad minus expeditè loqui latinè, & etiam nisi habeat triginta annos in ætate, nec potest aliquis existens Prior, aut Conuentualis in aliqua prouincia eligi in altera, sed solùm in ipsa, in qua ipse est constitutus Prior aut Conuentualis; Definitores, nec socius Prouincialis non possunt etiam eligi in socios ad Capitulum Generale ituros, quia tempore Capituli Generalis debent in Prouincia celebrare annuam congregationem. Item nullus potest eligi in socium qui fuerit electus socius pro Capitulo Generali immediatè præcedenti celebrato, licet non accesserit, quòd si eo triennio non fuerit celebratum, potest reeligi. Nullus qnoque mutatus de Prouincia sua ad aliam Prouinciam postquam socij sunt electi in Prouincia, à qua mutatur vocem habere pos-

fit in Prouincia ad quam translatus est. Item in electione horum sociorum, illi qui plura vota habuerint quàm omnes alij simul, sint socij; quòd si prima & secunda vice non conuenerint, postquam ter fuerit reiterata, & æqualia vota, duo vel plures habuerint, illi præponantur qui primi professionem emiserint in Ordine, & in libro Prouinciæ describantur omnes qui in eiusmodi electionibus aliquas habuerint voces, vt ex illis possit suppleri numerus sociorum: si aliquos ex electis mori, aut infirmitate aliove impedimento legitimo detineri contingeret. Quibus electis statim de Prouinciali, & illis duobus socijs vnus eligatur in Definitorem Capituli Generalis, qui non fuerit electus Definitor in præcedenti Capitulo Generali actu celebrato. Socijs & Definitori dentur litteræ testimoniales de electionibus suis, & super constituendis, innouandis, & agendis in Capitulo Generali habeant potestatem, ac si omnes fratres Prouinciæ adessent præsentes. Prædictis Prouinciali & socijs prouideatur rationabiliter de expensis à tota Prouincia per Definitores Capituli Prouincialis pro eundo, & redeundo iuxta quantitatem viæ, aut regionum qualitates; ordinantes quòd eiusmodi expensæ à singulis Conuentibus soluantur. Si euenerit casus quòd aliquis ex socijs, vel eorum vterque nequeat morte præuentus, vel ob aliquod aliud legitimum impedimentum accedere ad Capitulum Generale, minimè congreganda est Prouincia pro noua sociorum electione, sed vt prænotatum est, ille, vel illi erunt socij qui in proxima præcedenti electione post illos, qui remanserunt electi, legitimè plura vota habuerint, & si duo fuerint pares in votis, ille erit socius qui in professione antiquior extiterit; fient autem litteræ sociorum, cuilibet sigillatim consignādæ ad Capitulum Generale iturorū in sequenti forma,

Litteræ sociorum iturorum ad Capitulum Generale. Reuerendis in Christo Patribus Priori Generali, vel Vicario Generali, & Definitoribus Capituli Generalis, anno N. & die N. in Festo N. in Conuentu. N. celebrandi Ordinis Beatissimæ Dei genitricis, & Virginis Mariæ de monte Carmeli, sui humiles filij & subiecti Definitores, & cæteri fratres de gremio Capituli Prouincialis prouinciæ N. in Conuentu N. eiusdem Ordinis. In Festo N. anno N. & die N. celebrati, obedientiam debitam, & sancti Spiritus consilium in agendis. Venerandæ discretioni vestræ pateat euidenter quòd nos in dicto loco, & tempore pro præfato Capitulo nostro celebrando, cum ad electionem sociorum nostri Prioris Prouincialis ituri ad Capitulum Generale supradictum, & Definitoris Capituli prædicti procederemus & essemus oo. eligentes nemine indebitè excluso vel admisso, frater N. pro primo socio habuit vota oo. & frater N. oo. pro secundo de numero eligentium prædictorum, & frater N. habuit vota oo. &c. In secunda vero electione pro Definitore eligendo Prior Prouincialis vel frater N. à oo. eligentibus in Definitorem fuit electus, quibus sic electis damus licentiam & auctoritatem nostram, atque posse eligendi, constituendi, amouendi, definiendi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto Capitulo Generali, quæ facere possumus; si omnes præsentes essemus, ratum & gratum habentes quicquid factum fuerit per eosdem, datum & actum loco & tempore quibus supra, in quorum testimonium sigillum nostræ prouinciæ præsentibus est à tergo impressum.

CAPVT XVIII.

De electione Vicarij, & eius potestate.

ELectis socijs, & Definitore, pro Capitulo Generali, statim eligatur Vicarius ad custodiam Prouinciæ, tempore quo Prouincialis ibit ad Capitulum Generale per suffragia secreta, in qua electione Prior Generalis, vel præses,& Prouincialis habent vota, & qui plura vota habuerit, quàm omnes simul,sit eo ipso Vicarius & custos Prouinciæ. Electo Vicario ad custodiam Prouinciæ PriorProuincialis pro casu fortuito auctoritate sua alium substituat, qui Vicarij electi per mortem, aut alias caussas deficientis, vel à prouincia absentis vices suppleat,& auctoritatem habeat ad quæcumque.Declarantes, quòd si dictus Vicarius electus non fuerit mortuus,aut infirmitate inualidus, vel à prouincia absens, Vicarius per Prouincialem constitutus nulla fungatur auctoritate in administratione & regimine supradicto. Item ordinamus quòd in casu quo quilibet Vicariorum prædictorum pro tempore quo sua vigebit authoritas, non solùm propter infirmitatem, sed etiam propter aliam legitimam caussam & necessariam non valeret à Conuentu in quo erit recedere, possit alium Vicarium substituere loco sui ad visitandum aliquem Conuentum,vel aliquos Conuentus si necessitas requirat, & sit vocatus per Priorem, aut maiorem & saniorem partem Conuentus. Item statuimus quòd nullus Vicarius de prædictis aliquid ordinet,

aut faciat contra ordinationem Prouincialis, nec aliquid immutet de statu Prouinciæ absque magna necessitate, & consilio fratrum Definitorum, vsque ad regressum Prouincialis à Capitulo Generali, quo tempore cessat eius authoritas, sub pœna grauioris culpæ secundum qualitatem delicti. Si autem Priorem Prouincialem, aut Vicarium Prouincialem contingeret in sua Prouincia remanere, ipse per se custodiat Prouinciam, & custodiri faciat, retinens sibi sigillum Vicarij, & eo vtatur in agendis, sigillum verò Prouinciale mittat per socios ad Capitulum Generale sigillatum sigillo Prouinciæ publicè coram Definitoribus in loco in quo reseruatur, & sub sigillo Conuentus in quo ipsum remanere contingeret: nec volumus quod Vicarius aliquis quantumcunque sit electus habeat se intromittere de regimine Prouinciæ, Prouinciali remanente. Item si contingat Prouincialem mori, vel assumi post electionem sociorum, atque Vicarij, pro tempore Capituli Generalis, volumus quòd nonobstante conuocatione Prouinciæ pro electione noui Prouincialis facienda omnia ante acta in Capitulo Prouinciali proximo præcedente, quoad prædictas electiones Vicarij, & sociorum, in vigore maneant, nisi eo casu, quo contingeret aliquem electorum prædictorum eligi in Priorem Prouincialem, quia alius esset eligendus loco eius; imò si Prouincialis amotus fuisset Definitor Capituli Generalis, tunc electo Prouinciali esset pariter Definitor eligendus, hoc enim in casu non sunt substituendi qui in præcedenti Capitulo post electos plura habuere vota. Item nonobstante electione Vicarij facta pro Prouincia custodienda tempore Capituli Generalis, Prouinciali mortuo vel assumpto, primus Definitor Capituli Prouincialis præcedentis, vel eius defectu secundus, sicque de cæteris, sumat tanquam Vicarius Prouincialis

regimen Prouinciæ, quouſque eundum ſit ad Capitulum Generale, caſu quo propter illius propinquitatem nequeat in Prouincia celebrari Capitulum ad Prouincialis electionem, ſed illo tempore quo ſocij erunt extra, Vicarius electus habeat regimen Prouinciæ, quouſque per Capitulum Generale ſit diſpoſitum de Prouinciali, niſi ipſe fuerit, aut donec peruenerit in Prouinciam. Si autem Capitulum Generale remitteret Prouinciæ electionem Prouincialis, dum hoc primò innotuerit ceſſabit auctoritas Vicarij, & præfatus primus Definitor vel eo abſente Prior Conuentus qui habebat Capitulum Prouinciale recipere, fungatur plenaria auctoritate & celeriter conuocet Capitulum, & præſideat vſque ad electionem Definitorum incluſiuè, niſi Generale Capitulum, vel Prior Generalis aliter ordinaſſet eſſe faciendum, præfatiſque electionibus abſolutis, coram toto gremio comburendæ ſunt ſchedulæ ſuffragiorum. Et his peractis ſuum Prouincialem electum, vt præfertur, ducant fratres ad Eccleſiam cantando. Te Deum laudamus, &c. quod inchoabitur à Præſidente vbi ante altare tapetis reuerenter appoſitis ſe proſternat donec percantetur, quo terminato dicitur. Kyrie eleyſon, &c. Et Præſidens dicat. Et ne nos, &c. Ora pro eo ſancta Dei genitrix. Cum orationibus. Deus qui corda fidelium, &c. Prætende Domine famulo tuo, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, &c. Protege Domine, &c. Vt habetur in electione Generalis. Finitis orationibus erigat ſe Prouincialis electus, & genibus flexis iuxta conſtitutionem Pij IV. faciat profeſſionem fidei in manibus præſidentis prout ſequitur. Ego frater N. Prouincialis electus Prouinciæ N. Ordinis B. Mariæ Virg. de mõte Carmeli ſtrictioris obſeruantiæ, firma fide credo & profiteor omnia & ſingula quæ continentur in ſymbolo fidei, quo ſãcta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnũ

Deum Patrem omnipotentem. Factorem cœli & terræ. Visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filiū Dei vnigenitum. Et ex Patre natū ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deū verū de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est. Et Resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem. Qui ex Patre filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas: Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor in vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, extremam Vnctionem, ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem & ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Re-

ceptos quoque & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina synodo definita fuerunt amplector, & recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis atque defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè realiter, & substantialiter corpus & Sanguinem vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguiné, quam conuersionem Catholica Ecclesia transsubstantiationé appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs iuuari; similiter & sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmissimè assero. Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum habendas & retinendas esse atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestaté à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximé salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo & iuro; cætera item omnia, à sacris Canonibus, Occumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas

& anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor,& veraciter teneo eandem integram & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè Deo dante retineri,& confiteri,atque à meis ſubditis,vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ita ego frater N. ſpondeo, voueo, & iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia. Deinde ſurgat, & oſculetur altare reuerenter, & præſentetur ei aſperſorium cum aqua benedicta, quò ſe primò, deinde alios aſpergat; tunc ſedeat in loco ſibi ante altare præparato, & fratres ſinguli ad eum accedentes, genibus flexis manum eius oſculentur humiliter in ſignum obedientiæ,à Definitoribus,& ſenioribus incipiendo.

CAPVT XIX.

De Definitorio, & Definitoribus, & de proceſſu Capituli Prouincialis.

HIs peractis electionibus Præſidens Capituli, vnà cum Definitoribus procedat in nomine Domini ad ordinandum de regimine Prouinciæ, & volumus quòd præſidens cum alijs Definitorij Patribus, plenam & omnimodam habeat auctoritatem, & poteſtatem abſoluendi, & inſtituendi omnes Priores locales,& cæteros officiales cōfirmandi,modo inferiùs explicando.Locus pro Defini-

torio deputatus decens sit & secretus, & in eo paratum altariolum cum Crucifixo, vrnaque & tot schedulis quòd sufficiant pro electionibus omnium Priorum, scriptis cum iuramento, & electione, modo quo suprà, Ita ut solum desideretur nomen eligendi. Quoties Patres Definitorij dictum locum ingrediuntur genuflexi ante altare, inuocabunt Spiritus sancti adiutorium. Ideo Præses incipiet sine nota, Veni Creator Spiritus &c.& alternatim totum recitabunt, deinde Præsidens subiunget Emitte &c. Domine exaudi &c. Dominus Vobiscum &c. Oremus.Deus qui corda fidelium. Postea surgentes accedunt ad mensam ibi paratam, super qua commodè scribere possint, & in qua sint omnia actionibus definitorij necessaria, & per ordinem considebunt. Definitorium Capituli Prouincialis componitur,& constat Præsidente, Prouinciali electo, quatuor Definitoribus electis, & socijs Præsidis & Prouincialis electi, Prouinciali quoque absoluto tanquam consiliario: socius verò Exprouincialis amplius non ingreditur diffinitorium, quoniam strictissimi secreti sigillo omnia negotia definitorij sileri debent tàm in Capitulo, quàm in congregationibus, ita quòd si quis secretum prodidisset,à diffinitorio pro modo culpæ esset puniendus, pœna etiam depositionis, si offensæ grauitas id exigeret; ideo vt secretum fideliter ab omnibus seruetur antequam aliquid definiant, Iurent in manus Presidis se cautè secretum seruaturos, eorum quæ in eodem definitorio geruntur,quod & iurabit ipse Præsidens, nec etiam post Capitulum vllo alio tempore audeant declarare illa, quæ possint in detrimentum seu infamiam alicuius vergere, vel discordias inter fratres seminare, quod etiam obseruare iurabunt omnes, & primus omnium Pater Præsidens. Omnibus ita ordinatis, ad examen Conuentuum procedant singulorum, Priores & discretos audiendo, litteras si quas

ſi quas habent, & memorialia recipiendo, quibus receptis; & ijs egreſſis hæc omnia à Definitoribus legantur & notentur accuratè, quæ animaduerſione, reprehenſione, & alia correctione, ſeu directione digna fuerint. Ideo quilibet Prouincialis in eodem Capitulo, in quo ab officio abſoluitur, aut qui pro illo Prouinciam viſitauit, habeat rationem reddere in dicto Capitulo de culpis inuentis in viſitatione ſua, vt à Definitorio diſponatur de pœnitentijs iniungendis, aut relaxandis Capitulo Prouinciali reſeruatis pro ijſdem, & quæcumque notabilia crimina, rebelliones aut alia ſcandala, quæ fuerint commiſſa in communi libro prouinciæ ſcribantur, & ipſorum perpetrantium nomina, & hoc habeant Prouinciales & Definitores facere ſub pœna inhabilitatis ad officia & ad definiendum poſtmodum. Habita tali informatione vocentur ſeparatim qui reprehendendi ſeu corrigendi ſunt, & Præſidens tacitis nominibus eorum qui denunciauerint reprehendat, moneat, ſeu corrigat, & interrogentur diſtinctè & ſeriatim de culpis oppoſitis, ne inaudita parte, & minus iuſtè in aliquem procedatur, atque tandem ex reſponſis abſoluat abſoluendos, condemnandos condemnet, corripiendos corripiat, vel moneat; quam correctionem, aut pœnam impoſitam recipere debent cum reuerentia & deuotione. Si de aliqua re magni momenti, neque haberi vera, & ſufficiens probatio, aut informatio poſſit, negotium Prouinciali electo committatur. In Definitorio aperiantur & diſcutiantur in præſentia Priorum & diſcretorum Conuentuum inuentaria & ſtatus domorum, & ſcribantur ſummatim in libro, vt ea Prouincailis ſecum habeat, & deferat in viſitationibus, ſi opus ſit: in neceſſitate tantùm poterit Definitorium quatuor è gremialibus committere, qui prædicta inuentaria ſedulò examinent, vel remittere ad au-

ditores causarum ciuilium, expedita, Conuentuum examinatione, & præsidens omnia quæ notata fuerunt per scribam, in medium definienda seriatim, & successiuè producat, vota colligat vltimò ipse dicturus: vno loquente cæteri audiant, nec interrumpant, caueant ne prolixiores sint, aut extra propositã materiam vagentur, sed paucis verbis, & ad rem pertinentibus suum sensum quilibet exponat, qui secus fecerit moneatur statim à Præsidente. Omnibus auditis, opinio in quam duæ partes Definitorij conuenerint, censeatur ab omnibus definita & scribatur tanquam determinata à definitorio in margine per scribam, è regione petitionis. Sic poterit præsidens de assensu Definitorum prout supra in capitulo solùm restituere vocem & locum carentibus eiusdem prouinciæ, qui sine scandalo sæcularium prodiderint, non poterit tamen inhabiles ad officia quæcunque habilitare sine Capituli Generalis aut Prioris Generalis licentia, illorum videlicet quorum dispensatio in statutis eorum authoritati reseruatur. Item, Prouinciales habeant reddere rationem Capitulo Prouinciali de receptis & expensis pro negotijs prouinciæ, & suis visitationibus. Item debet R. P. Præsidens cum Definitoribus examinare culpas Prouincialis absoluti, quæ fuerint contra eum propositæ in Capitulo ante electionem, & tunc non terminatæ, & etiam audire alios fratres, si voluerint contra eumdem aliquos non dissimulando excessus proponere modo habuerint probatas & sufficientes probationes, & si repererint eum culpabilem, statim puniant iuxta statuta Ordinis; cæterùm si aliqua causa aduersus eum, aut alios fratres longiorem inquisitionem exegerit discutienda & terminanda relinquetur nouo Prouinciali, & Definitoribus quibus præmissis & lectis constitutionibus de requisitis eligendorum, patres Definitorij præcipuam debent adhibere diligentiam in instituendis Prioribus ser-

ſeruato illæſo indulto Apoſtolico Calixti III. vbi tota Prouincia non eſt reformata, & Definitores non ſunt ex reformatis, vt dicitur Cap. 33. quibus ex officio incumbit animarum cura, quæ eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum, nihilque magis officit Religioni quàm ad animarum regimen indignos, vel minus idoneos aſſumi. Ideò imprimis ſtatuimus vt antequam procedant ad ordinationem Priorum, inter ſe diſcutiant de exigentia locorum, & capacitate nominatorum à Conuentibus, vt dicitur cap. 33. ſingulique iurent ſe conſtituturos ſecundũ veritatem cuiuſcunque conſcientiæ probiores & magis idoneos, quod facient per ſuffragia ſecreta, modo ſuperiùs prænotato, ſufficiet tamen ſemel tantùm præſtare iuramentum in principio de eligendis omnibus, & ſingulis Prioribus probioribus & magis idoneis; & qui plura habebit vota quàm omnes ſimul, ipſe ſit Prior, hoc pacto quòd nullus ex Definitoribus, nec ſocius Prouincialis poterit eſſe Prior; ſi verò ob penuriam ſubiectorum expediret Definitores, aut aliquem ex ipſis inſtitui Priorem, eo caſu Præſes Capituli explicabit gremialibus Prouinciæ neceſſitatem, & ſi omnes gremiales, aut ſaltem eorum maior pars per ſuffragia ſecreta aſſenſum præbuerint, tunc Definitorium per ſuffragia etiam ſecreta poterit eligere in Priorem, vel Priores, aliquem vel aliquos ex Definitoribus, prout dictum eſt. De cæteris attenta capacitate tàm perſonarum electarum quàm locorum, & nemo Definitorum in propria cauſa habebit votum; imò eo tempore quò res ſua à cæteris ventilabitur, & ponderabitur, è conclaui egrediatur; & præſertim aduertant ſe non poſſe conſtituere ad officium Prioris, illos qui regulariter chorum, diù, noctuque, & vitam communem refectorij non valent ſequi, vel patiuntur aliquem defectum, ex annotatis in cap. 33. huius partis.

Item ordinamus quòd nullus Prior expleto triennio ſui officij valeat reeligi Prior eiuſdem Conuentus, niſi poſt tranſactum aliud triennium : exceptis Conuentibus qui ædificabuntur de nouo, vel in quibus inchoata fuerit aliqua notabilis fabrica, & conſtiterit euidenter pro illius abſolutione neceſſariam eſſe diligentiam, & ſollicitudinem Prioris iam exiſtentis, tunc enim idem poterit reeligi ad aliud triennium, quod multò magis de illis poterit fieri qui verbo & exemplo, verè & efficaciter cœperint collapſam obſeruantiam regularem reparare. Volumus tamen, & diſtrictè mandamus, quòd hos caſus habeant diligenter examinare Præſidens, & Definitores, & nuſquam eligantur vltra ſex annos in eodem loco.

Item decernimus, quòd Priores inſtituti in Capitulo Prouinciali poſſint à Prouincialibus in eorum viſitationibus ad alios Prioratus tranſmitti pro bono regimine Prouinciæ, ſi expediens fuerit, non autem abſolui niſi pro culpis confeſſis, aut de illis in iudicio conuictis : & idem volumus fieri de aliijs Officialibus & fratribus quibuſcunque. Tractent conſequenter Definitorij Patres de prouiſione Conuentuum, de reformatione, de medijs ad perfectionem conducentibus, & cuique Conuentuum numerum Religioſorum ad officia regularia peragenda neceſſarium præſcribant, & attendant ſeriò, & cum Dei timore, circa Officiales Conuentuum, videantque qui indigeant Superiore, Magiſtro Nouitiorum, Confeſſarijs, ſacriſta, prædicatoribus, Procuratore, & cæteris, vt idoneos huiuſmodi muneribus obeundis in Conuentibus aſſignent, & ſi opus ſit præficiant. Nouitiorum ſeminarij, ſeu profeſſorij ſtudiorum, tum Philoſophiæ, tum Theologiæ, Rhetoricæ, & linguarum Magiſtros, & Regentes eligant, Conuentuſque ad ea exercitia deſignent. De mutationibus item fratrum cogitent, quas non niſi de triennio in triennium,

vel in casibus necessitatis fieri volumus, & quantum fieri poterit maximè ad loca viciniora, vt expensis parcatur, mittant. Consultiùs tamen fortassis erit eiusmodi mutationes Prouinciali faciendas relinquere, nisi ob graues rationes aliter iudicaret definitorium. Habeant rationem vt certus tantùm Religiosorum numerus in Conuentibus assignetur, qui reditibus, eleemosynis, & obuentionibus consuetis sufficienter ali possint iuxta decreta Concilij Tridentini & summorum Pontificum Clem. VIII. Pauli V. Gregorij XV. & Vrbani VIII. Item poterunt aliqua statuere pro regimine Prouinciæ quæ tantùm Regulam, & constitutiones non lædant duratura ad minus de Capitulo ad Capitulum sequens. Quæ fuerunt statuta in præterito Capitulo legantur, & iudicio duarum partium Definitorij vt perfectiùs obseruentur approbabuntur iterum, vel reprobabuntur, & inducant obligationem statim ab eorum publicatione. Terminata & constituta per anteriora Capitula nolumus de facili etiam reuocari; quòd si quid dubij contigerit examinetur per Patres Definitorij, & quod a duabus partibus fuerit conclusum teneat vim decreti; pro reuocatione tamen totali, vel partiali alicuius ordinationis habeatur consensus maioris partis Definitorij, & tunc in libro ordinationum fiat mentio talis ordinationis reuocatæ, alioquin nulla sit reuocatio, & prior ordinatio in suo vigore permaneat. Ordinationes de nouo non fiant nisi cum maxima grauitate, maturitate, & ex vrgentissima causa, nec inaniter de his conficiant decreta quæ in constitutionibus formaliter continentur; in obseruantiam tamen eorum poterunt speciatim adnotare vt Prouincialis in suis visitationibus in desertores & inobseruantes habeat animaduertere: præcipuum enim cuiuslibet politiæ regimen & rationabili legum stabilitate resultare videtur, dubia tamen circa praxim Constitutionum, Ceremoniale, directorium, instru-

ctione, & cætera eiusmodi decidere, & ordinare poterunt. Cum aliquid iudicio Definitorij grauioris momenti ordinandum erit; conuocentur gremiales omnes Capituli quibus statuenda proponantur, & auditis omnium votis habita ratione maioris & sanioris partis decernantur.

CAPVT XX.

De officio Prioris Capituli Prouincialis.

LIcet ordinariè Prior Conuentus sit etiam Prior capituli, vt maturo tempore prout inferiùs rebus Capituli possit prouidere; Præsidens tamen Prouincialis officium depositurus cum Definitoribus elapsi triennij, vt dictum est Cap. 13. huius partis §. 4. Poterũt si opus fuerit alium substituere qui locum post Definitores tenebit.

2 Prior Capituli eam adhibeat diligentiam vt pridie vigiliam vigiliæ Capituli omnia in Conuentu ad receptionem Religiosorum necessaria honestè sint diposita, habeatque seriem seu ordinẽ tum Priorum, & sociorum, tum Gremialium cæterorumque vocatorum, in quo cuilibet sua sit assignata cella vel saltem lectulus separatus.

3 Cellæ seu lecti notentur nominibus singulorum.

4 Religiosi accedentes, à Priore Capituli, aut alio ab ipso designato benignè recipiãtur, statimque vbi primùm de more in Ecclesia, aut oratorio, seu Capitulo preces consuetas recitauerint, & paulisper orauerint, ad cellas seu loca sibi designata deducantur, post vnam aut alteram, si opus fuerit, refectionem, sequantur refectorium, actusque

5. Quòd si vnus ex ipsis Auditoribus causam habuerit in Capitulo terminandã, exeat donec reliqui definierint.
6. Sententiæ & decreta Auditorum causarum à Definitorio visa & confirmata scribantur in libro communi Prouinciæ, sicut & cætera acta Capituli.

CAPVT XXII.

De officio Scribæ.

1. ELecto, vt iam dictum est, Secretario seu scriba Capituli, eius officium sit scribere nomina Præsidẽtis, Prouincialium, tum electi, tum absoluti, Definitorum, Auditorum causarum, & subsequenter omnium Gremialium, & Officialium, quælibet etiam acta Capituli scribi digna, litteras omnes præsentatas Capitulo coram Definitorio leget, & quæ ponderis, & examinis maioris digna conspicientur, in vno chartæ folio postea examinanda per Definitorium in modum memorialis notabit.
2. Publicabit officiales à Patribus Definitoribus constitutos, ordinem ipsorum describet, tradétque Priori Capituli: sit præterea sollicitus annotare quæ Patres de nouo statuent.
3. Ex ordinatione Præsidentis faciet Scriba schedulam, seu tabellam in qua sit descriptus ordo omnium Conuentuum Prouinciæ, & in aliquo loco publico appendatur vt sciant Priores, & discreti, quo ordine, & quando sint vocandi à Definitorio: petitiones, & memorialia Conuentuum separatim adnotabit, proponetque ordinatim Definitorio decreta, seu ordinationes circa huiusmodi petitiones & memorialia, vt à Definitorio approbata nitidiùs in libro Prouinciæ describantur.
4. Litteras gratiosas pro benefactoribus scribet, eisque

4. Litteras gratiosas pro benefactoribus scribet, eisque sigillum Prouinciæ postquam signatæ fuerint apponet, quas & ipse subsignabit, licentias seu permissiones alienandi, & permutandi, (præmisso semper assensu Apostolico) siue construendi à Conuentibus impetratas expediet, & discretis sigillatas tradet, registrum omnium decretorum, litterarum, aut aliorum instrumentorum, etiam epistolarum missiuarum aut responsiuarum habeat, eaque accuratè notet in libro communi ad hoc designato.

5. Item Secretarius nomina fratrum mutandorum de Conuentu in Conuentum scribere tenebitur, litteras similiter obedientiales sigillatas & subsignatas fieri curabit, vt competenti tempore huiusmodi mutationes fiant.

6. Quòd si nimia sit negotiorum copia, eligatur aliquis frater eruditus, discretus, & fidus, licet non sit de gremio Capituli, qui scribam adiuuet in registrandis, scribendis, & sigillandis actibus, caueat ne sua loquacitate negotia publicentur, quod illi iniungetur etiam sub iuramento.

7. Scriba habeat ad colligendum vocalium suffragia, arculam vnam, seu vrnam claui obseratam, in cuius superiori parte sit angustum foramen ad schedulas seu globulos recipiendos.

8. Insuper initio & fine Capituli ad commendationes faciendas, Conuentus omnes ordine aduocabit.

CAPVT XXIIII.

De Præfectis Prouiſore, & Curſore.

1 OFficiarij ſeu Apparitores quos Capituli Curſores appellari conſuetum eſt, ante initium Capituli duo deputentur à Præſidente Prouinciali, & antiquis Diffinitoribus, quorum officium erit aduocare Priores, diſcretos, & alios quos Patres Definitorij, vocandos iudicauerint: Curabunt ſingulis diebus vt cuncta ordinatè ſint diſpoſita in camera Definitorij, vt altare, menſæ, ſedilia, aliaque eiuſmodi ſint munda.

2. Et quia morari debent iuxta ianuam Definitorij, non aſſumantur ad hoc officium curioſi aut loquaces, ſed prudentes, diſcreti, & fideles.

3. Cùm erit publicè in Eccleſiam conueniendum, ſeu pro miſſa ſolemniter celebranda, ſeu pro audienda concione, omnia neceſſaria tum ad Officiales, tum ad cæteros commodis ſedibus excipiendos cum ſacriſta parabunt.

4. Item eorum muneris erit in diſputationibus Theologicis omnia ſecundum ordinem diſponere, eiſque adeſſe tantùm temporis, quantùm aderunt Præſes & Definitores.

5. In proceſſionibus publicis prouidebunt vt ſinguli fratres bini modeſtè & ordinatè procedant.

6. Videant etiam diligenter ne extra diuina officia fratres deſint, qui orent coram ſanctiſſimo Sacramento, quòd ſi negligentiam hac in re animaduerterint, Priorem Capituli, vel Præſidentem, & Diffinitores moneant,

qui operam dabunt, vt ordo institutus pro oratione continua seruetur.

CAPVT XXIV.

DE DEPOSITARIO.

1. DEcem aut octo diebus ante Capitulum Prouinciale deputetur Depositarius à Prouinciali, vel à Priore, qui singulorum pallia, pileos, & alia eiusmodi sub claui diligēter seruet, appositis vniuscuiusq; nominib⁹.
2. Si quid etiam habeant pecuniæ tum ex itinere, tum ex concionibus aduentus, & quadragesimæ in loco claui obserato asseruabit, nec vllus pecuniam apud se retineat, sub pœna proprietariorum, sed à depositario de licentia superioris vbi opus habebit repetat; habeat inuentarium in quo describat quantum pecuniæ ab vnoquoque receperit, & tam depositarius, quàm deponentes subscribant.
3. Caueat diligenter ne aliquid suæ custodiæ traditum deperdatur, aut mutetur.
4. Finito Capitulo ex licentia Definitorij, vel Prouincialis, marsupia, & cætera deposita, cuilibet reddere tenebitur, nec liceat ei creditis sibi summis vllo modo vti,

CAPVT XXV.

Quid à Gremialibus, cæterisque ad Capitulum conuocatis faciendũ durante Capitulo.

1. Regulariter communibus actibus intersint præsertim diuino officio, nullusque non legitimè occupatus abesse præsumat sub pœna media.

2. Tempore Capituli horis à regula præscriptis, locis à Constitutionibus designatis silentium obseruetur exactè sub pœna media.

3. Curent missam quotidie celebrare, sibique inuicem in celebratione inseruire ad sublcuamen fratrũ Cõuẽtus.

4. Fugiant vanas occupationes, inutilia colloquia, & cætera huiusmodi, ne sint pusillis scandalo. Caueant ne fiant conspirationes, colligationes per se, vel per alios, monopolia, detractiones de absentibus, vel præsentibus Patribus, aut fratribus, præcipuè verò de suis Superiorib⁹.

5. Omnes zelum & amorem erga disciplinam regularem in deliberationibus præseferant, simpliciterque omni semota passione suos conceptus aperiant, Deum inspectorem præ oculis semper habentes.

9. Vt Capitulum citiùs expediatur, omnes Priores, & discreti sua memorialia in compendium reducant, suaque negotia distinguant per materias in Definitorio proponendas, sintque breues & expediti; caueant superflua, & quæ ad rem non pertinent, nec eadem repetant.

7. Nullus exeat monasteriũ etiã causa recreationis, seu deãbulationis sine licẽtia Præsidentis aut Prioris Capituli.

8. Vocati à Definitorio non audeant quæ ibi audierint, vel tractauerint cuiquam reuelare; qui contra fecerit arbitrio Definitorij puniatur.

9. Gremiales durante Definitorio maneant in suis

qui operam dabunt, vt ordo institutus pro oratione continua seruetur.

CAPVT XXIV.

DE DEPOSITARIO.

1. DEcem aut octo diebus ante Capitulum Prouinciale deputetur Depositarius à Prouinciali, vel à Priore, qui singulorum pallia, pileos, & alia eiusmodi sub claui diligẽter seruet, appositis vniuscuiusq; nominib⁹.
2. Si quid etiam habeant pecuniæ tum ex itinere, tum ex concionibus aduentus, & quadragesimæ in loco claui obserato asseruabit, nec vllus pecuniam apud se retineat, sub pœna proprietariorum, sed à depositario de licentia superioris vbi opus habebit repetat; habeat inuentarium in quo describat quantum pecuniæ ab vnoquoque recceperit, & tam depositarius, quàm deponentes subscribant.
3. Caueat diligenter ne aliquid suæ custodiæ traditum deperdatur, aut mutetur.
4. Finito Capitulo ex licentia Definitorij, vel Prouincialis, marsupia, & cætera deposita, cuilibet reddere tenebitur, nec liceat ei creditis sibi summis vllo modo vti,

CAPVT XXV.

Quid à Gremialibus, cæterisque ad Capitulum conuocatis faciendũ durante Capitulo.

1. Regulariter communibus actibus intersint præsertim diuino officio, nullusque non legitimè occupatus abesse præsumat sub pœna media.

2. Tempore Capituli horis à regula præscriptis, locis à Constitutionibus designatis silentium obseruetur exactè sub pœna media.

3. Curent missam quotidie celebrare, sibique inuicem in celebratione inseruire ad subleuamen fratrũ Cõuẽtus.

4. Fugiant vanas occupationes, inutilia colloquia, & cætera huiusmodi, ne sint pusillis scandalo. Caueant ne fiant conspirationes, colligationes per se, vel per alios, monopolia, detractiones de absentibus, vel præsentibus Patribus, aut fratribus, præcipuè verò de suis Superiorib⁹.

5. Omnes zelum & amorem erga disciplinam regularem in deliberationibus præseferant, simpliciterque omni semota passione suos conceptus aperiant, Deum inspectorem præ oculis semper habentes.

9. Vt Capitulum citiùs expediatur, omnes Priores, & discreti sua memorialia in compendium reducant, suaque negotia distinguant per materias in Definitorio proponendas, sintque breues & expediti; caueant superflua, & quæ ad rem non pertinent, nec eadem repetant.

7. Nullus exeat monasteriũ etiã causa recreationis, seu deãbulationis sine licẽtia Præsidentis aut Prioris Capituli.

8. Vocati à Definitorio non audeant quæ ibi audierint, vel tractauerint cuiquam reuelare; qui contra fecerit arbitrio Definitorij puniatur.

9. Gremiales durante Definitorio maneant in suis

cellis vel locis vbi commodè à Cursoribus Capituli inueniri possint, habeantque præparata quæ Definitorio præsentare tenentur, nec vlli conuenticula agant in cellis aut cameris.

CAPVT XXVI.

De terminatione Capituli Prouincialis.

TAndem confectis obedientialibus epistolis & missiuis, iisdemque à Præside, & Definitoribus subsignatis & sigillatis: idoneo Conuentu pro recipiendo Capitulo Prouinciali proximo designato, & omnibus ita expeditis, & dispositis per definitorium, acta Capituli conscribantur in libro Prouinciæ, & manè vocatis fratribus ad pulsum nolæ capitularis congregabuntur omnes in vnum locum, & ibi auctoritate Præsidis, ac Definitorum absoluentur omnes Priores, qui statim sigilla officiorem suorum, Præsidenti, & Definitoribus reddent: deinde de nouo à Definitorio instituendi Priores proprijs vocentur nominibus, qui coram Præsidente, & Definitoribus genuflectent, & Præsidens singulis tradendo sigillum Prioratus, & litteras obedientiales, & iniuncto officio sigillo communitatis Prouinciæ munita. DICAT AVCTORITATE NOSTRA. Et de vnanimi consensu Definitorum præsentis Capituli facimus, & ordinamus te N. Priorem nostri Conuentus N. Dantes tibi curam animarum omnium fratrum dicti Conuentus, & administrationem omnium bonorum in spiritualibus, &

tẽporalibus ſecundum Ordinis noſtri inſtituta, in remiſſio-ne peccatorum tuorum. In nomine Patris, &c. Et ille cum humilitate & reuerentia ſigillum patentem, & ſtatum ſupradicti Conuentus recipiat, manum Præſidentis oſculando, & dicendo, Deo gratias. Et ſi confirmandus in Priorem fuerit abſens, dicatur in tertia perſona. Nos facimus, & ordinamus fratrem N. Priorem noſtri Conuentus N. &c. Prioribus ita inſtitutis, vnus alta voce, cæteri ſubmiſſa ſubſequentes faciant omnes ſimul genibus flexis profeſſionem fidei coram Præſidente in hac forma. Ego frater N. Ordinis Carmelitarum Prior inſtitutus Conuentus N. firma fide credo & confiteor, &c. Vt habentur in fine cap. 18. publicentur ſtatim per ſcribam Capituli, omnia acta coram vniuerſis fratribus, quorum copiam Pater Præſidens ex papyro prouinciæ, de verbo ad verbum fideliter extractam curabit tranſmitti ad Patrem Ordinis, pro confirmatione obtinenda: poſtea legantur, & publicentur Conſtitutiones Clement. VIII. de largitione munerum, & decretum congregationis Generalis, ſanctæ Romanæ Inquiſitionis vniuerſalis aduerſus hæreticam prauitatem, præſente SS. D. Vrbano VIII. editum; ſuntque commonendi omnes de obſeruantia, & executione Apoſtolicarum conſtitutionum, & decretorum tam præfatorum, quàm aliorum à ſede Apoſtolica emanantium, & emanandorum. Finaliter poſt prædictas inſtitutiones, & confirmationes, detur ſignum cum Capituli campana, ad quod omnes fratres præſentes, cum cappis, etiam non gremiales eant ad Eccleſiam, ibique de more fiant commemorationes fratrum, familiarium, patronorum, benefactorum, & litteras confraternitatis habentium viuorum, per ſingulos Conuentus: & ſpecialiter illorum qui in gratiam Capituli eleemoſynas erogauerint, & illis recommendatis dicatur Pſalmus. Ad te leuaui, &c. Kyrie eleyſon, &c. vt habetur pro terminatione Capituli

Generalis. Quibus finitis, habitaque pro gratiarum actione, è suggestu concione, Præsidens incipiet alta voce. Te Deum laudamus, finito cantu, versus cum orationibus quæ habentur etiam pro terminatione Capituli Generalis decantabit, quibus completis, omnes coram Præsidente prostrati dicant Confiteor, & ipse Præsidens subiungat, Misereatur vt infrà: Vltimò Præsidens commendabit omnibus, vt oretur pro sanctissimo D. Papa, pro sacro Cardinalium collegio, pro Prælatis Ecclesiæ, præcipuè pro Episcopo loci, pro Regibus, & Principibus Christianis, pro Reuerendissimo Generali, Superioribus omnibus, & pro Ordine, & eius reformatione: & sic terminabitur Capitulum, benedictione data à Præsidente hoc modo: Benedictio Dei, &c. & cantetur immediatè Resp. Ite in orbem.

8. Singuli Priores post hæc petant à scriba, quæ ad suum Conuentum specialiter pertinent, quæ verò fuerunt publicata, & statuta, discreti in scriptis ad suos Conuentus fratribus suis declaranda, & publicanda recipiant, & ea Priores obseruari faciant.

9. Actibus subsignatis, & sigillatis communi sigillo Prouinciæ, sigillum ipsum cum communi libro Prouinciæ in capsa, seu arcula quinque clauibus clausa reponatur, clauesque Prouincialis, & quatuor Definitores suam quisque habendo asseruabunt, quæ capsa non aperiatur, nisi in Capitulo sequenti, aut in congregationibus quæ habentur inter vnum & alterum Capitulum, vel cum occurrerit pro sigillo Prouincialis mittendo ad Capitulum generale, & reseruetur in arca communi Conuentus vbi proxima est congregatio celebranda.

CAPVT XXVII.

Quid agendum ſit Prouinciali abſente, mortuo, vel aſſumpto.

1. CVm Prouinciale Capitulum ſit celebrandum de triennio in triennium, Dominica tertia poſt Paſcha: ſi contigerit Prouincialatus officium alio tempore vacare, vt occurramus incommodis, quæ ex intempeſtiua Capituli Prouincialis celebratione oriuntur: Decernimus vt primus Definitor, vel eo deficiente, ſecundus Prouinciæ regimen ſuſcipiat, donec per eum certior factus Reuerendiſſimus Pater, Vicarium Prouincialem inſtituat duraturum vſque ad præfinitum tempus ſequentis Capituli Prouincialis, niſi aliter ipſe Reuerendiſſimus Pater ordinauerit, qui tamen pro eo tempore nihil graue quod in futuræ electionis præiudicium cedat; inconſulto Reuerendiſſimo Patre, in Prouincia decernere, aut mutare præſumat.

CAPVT XXVIII.

De Congregatione inter vnum, & alterum Capitulum Prouinciale celebranda.

1. ORdinamus & præcipimus, vt in posterum in qualibet Prouincia nostri Ordinis Patres Definitores electi in Capitulo Prouinciali per totum triennium in officij sui iure, & vsu permaneant, & perseuerent vsque ad alterum immediatè sequens, in hunc dumtaxat finem, vt Reuerendus Prouincialis eorum ope, & consilio vtatur in grauioribus negotijs de eorum assensu expediendis, eos ad hunc effectum toties quoties necessarium fuerit congregando.

2. Quamobrem statuimus, vt inter vnum & alterum Capitulum in vnaquaque Prouincia, saltem singulis annis Dominica tertia post Pascha in aliquo Conuentu commodo per Prouincialem assignato fiat congregatio, ad quam conuenire debeant Prouincialis cum socio, & quatuor Definitores quorum numerus casu quo aliquis eorum morbo, vel alia necessaria de causa defuerit, suppleri poterit ex illis, qui in præcedenti Capitulo post ipsos Definitores plura habuerint suffragia, & si aliqui fuerint in suffragijs æquales, præferendus erit antiquior in Ordine.

3. Quòd si absfuerit à Prouincia Prouincialis, causa Capituli Generalis, custos Prouinciæ conuocabit ad

congregationem, & loco Prouincialis ad eam cum socio eiusdem Prouincialis accedet.

4. Incipiet dicta congregatio eodem die, & eodem penitùs modo, quo Capitulum Prouinciale, idest decantata prius missa de Spiritu sancto, &c. sed hæc omnia priuatim in Conuentu, & sine rumore, ita vt nulla parentur externa ornamenta, & sine expensis extraordinarijs.

5. Ad hanc congregationem spectabit maximè Nouitiatum, & seminarium seu professorium vbi opus fuerit instituere, aut transferre pro Nouitijs, & iunioribus professis, Magistrosque instituere, aut amouere; Superiores item, & alios officiarios, si opus fuerit, mutare, Lectores præficere, Conuentus ad studia determinare, noua loca, nouasque fundationes acceptare, mortuo aliquo Priore, aut absoluto, in aliquo Conuentu de Vicario, aut Priore, Conuentui, eo carente prouidere, prout dicitur cap. 33. duraturo ad minùs vsque ad primum Capitulum Prouinciale in quo habebit vocem & locum, si adsit in suo Conuentu requisitus vocalium numerus.

6. Leges pro vniuersa Prouincia scribere non poterit, sed tamen quasdam ordinationes seu directiones, maximè circa vniformitatem in omnibus seruandam, quæ si postea in Capitulo Prouinciali probentur tanquam ueræ leges Prouinciales, & statuta confirmari poterunt.

7. Ad eandem etiam congregationem spectabit distribuere eleemosynas, quæ tum ex Nouitijs, tum ex concionibus habebuntur, easque vrgentibus Prouinciæ negotiis applicare.

8. Quare in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus & singulis Prioribus, & concionatoribus, vt quas ex concionibus siue ex eleemosynis Nouitiorum habuerint pecunias, eas tradant inter manus alicuius ex Definitoribus, ad dictam congregationem deferendas cum

litteris dictam summam exprimentibus: & si quis ex eis aliquid detraxerit absque expressa licentia Reuerendi Patris Prouincialis in scriptis exhibenda, pœna proprietariorum puniatur, deductis tamen rationabilibus & iustis expensis à Prædicatoribus, tam in eundo, quàm redeundo factis.

9. Et quia cauendum est, ne causa dictæ congregationis, superfluis expensis Prouinciæ grauentur, nullus alius absque licentia Prouincialis poterit se ad illam conferre. Et ea concedetur tantùm pro causis quæ non possunt nisi in congregationibus terminari, & socij quos secum poterunt adducere Definitores, nec vocem, nec locum habebunt.

10. Veniant dicti Definitores expensis totius Prouinciæ, tenebuntur tamen Superiores locales eis necessaria, tanquam mutuò accommodata ministrare, postea à Prouincia repetenda.

11. Non poterit Reuerendus Pater Prouincialis cum Definitoribus Priores sine culpis confessis, aut legitimè probatis deponere, nec vocem, & locum, aut alias pœnas alicui per Capitulum Prouinciale inflictas remittere.

12. Acta omnia dictarum congregationum in libro particulari conscribentur, qui ad Capitulum Prouinciale deferetur, vt quæ vtilia, & necessaria fuerint in Capitulo Prouinciali, tanquam leges, & statuta in libro Prouinciæ conscribi, & publicari possint.

13. Ne nimijs grauentur expensis Cõuentus, in quibus fient eiusmodi congregationes, volumus vt solummodò durent per tres dies, quibus diligenter laborare studebũt omnes, & ijs elapsis, omnis eius expiret authoritas.

14. Quòd si Prouincia non fuerit totaliter reformata, vel definitorium non constiterit ex reformatis, poterunt quotannis, in festo omnium sanctorum, Priores Conuentus eiusdem Prouinciæ sub obseruatione harum con-

stitutionum viuentium, modo quo suprà congregari de rebus ad strictiorem obseruantiam spectãtibus tractaturi; in qua cõgregatione præsidebit ipsemet R. P. Prouincialis, si fuerit ex eadem reformatione professus, aut eius socius de eadem reformatione electus, vt dicetur cap. 31. huius partis.

CAPVT XXIX.

De officio Prioris Prouincialis.

1 PRouincialis electus extra Italiam, aut nationem, in qua reperitur Generalis, si fuerit ex nominatis à Reuerendissimo Patre Generali, & canonicè electus, statim poterit suum officium exercere, tenebuntur tamen confirmationem habere in spatio quatuor, vel ad summum sex mensium, sub pœna priuationis ab officio, quo casu primus Definitor Prouinciæ, regat prouinciam vsque ad prouisionem noui Prouincialis, siue dispositionem Reuerendissimi Patris Generalis, nisi ob bella, morbos contagiosos, aut similes casus, nuncijs, cursoribus via præcluderetur, quibus casibus officium suum exercebit. In Prouincijs Italiæ, vel nationis, vbi reperitur Generalis, seruetur antiqua constitutio, vt scilicet Prouinciales non exerceant officium suum, nisi habita confirmatione à Reuerendissimo Patre Generali, sed interim Prouincia regatur per Priorem, vbi Capitulum celebratum est.

2 Ita totius suæ Prouinciæ curam geret, vt nullius Conuentus peculiaris Prior esse possit; in quolibet tamẽ conuentu tandiu manere poterit, quandiu necessitas exiget pro bono disciplinæ regularis.

3. Animaduertat diligenter in eo positam esse officij sui rationem, & curam, vt commissam sibi Prouinciam iuxta instituti nostri finem, per regulæ nostræ, & constitutionum strictam obseruantiam, & reformationem ad perfectionem promoueat.

4. Potissimam instituti nostri partem, quæ in legis Dei meditatione, & assidua mortificatione consistit, fratribus maximè commendet, omnique studio inuigilet, vt quæ de officio diuino, oratione mentali, solitudine, silentio, exercitio culparum, ieiunio, studiis, & aliis piè sancita sunt, exactissimè seruentur.

5. Ita curet se amabilem reddere, vt omnes ad illum confidenter recurrere possint, seueritatem suo tempore habendam cum benignitate miscens, Pastorum Pastorem Christum imitetur.

6. Mutuam & strictam inter omnes Conuentus pacem & concordiam foueat, & si quæ ratione terminorum, aut alia de causa exoriuntur dissentiones, paterna solicitudine eas sedare festinet.

7. Diuagationes fratrum inutiles, & frequentiores de Conuentu ad Conuentum mutationes coercere, & impedire studeat, nec propter negotia quemquam permittat discurrere, quæ facilè per litteras possunt expediri.

8. Priores sæpè verbo, aut exemplis, ad oneris sustinentiam, ad zelum, & charitatem propter Deum, & Ordinem, amanter in spiritus lenitate animet, eosque eo quo poterit modo iuuet, quos eis molestos & malo animo aduersantes inuenerit comprimendo, perturbatores concordiæ, & pacis, in pœnam ad alias domos dimittendo, colligationes in malum, per separationem dissoluat.

9. Extra Capitula, & actus visitationum fratribus in dulcedine charitatis deuotas exhortationes faciet, prout ei suggeret Spiritus sanctus, & eos secundum statum præ-

sentem

sentem indigere videbit.

10. Quæ laudabiliter à suis antecessoribus, & prudenter fuerunt ordinata probet, & pro viribus contendat obseruare.

11. In Conuentibus vbi moratur, vel etiam dum visitat habeat Prior Prouincialis cameram claui obseratam, supellectili statui paupertatis conuenienti, cæterorum fratrum non dissimili, institutam à Conuentu vbi extra tempus visitationis morabitur: necessaria ad victum, & vestitum, tam illi, quàm socio, aut alijs si quos secum habuerit, suppeditabuntur.

12. Habeat librum in quo diligenter describantur à socio pecuniæ, quas à Conuentibus receperit, aut ab amicis, & benefactoribus, & in quos vsus tales pecunias in sumpserit similiter notetur, vt de ijs omnibus in Capitulo Prouinciali reddat rationem.

13. Habet autem Reuerendus P. Prouincialis auctoritatem per se, vel per alios, præuio de idoneïtate, & moribus sufficienti examine, professos ad Ordines sacros promouendi, personaliter suam Prouinciam visitandi, defectus tàm Priorum, quàm subditorum corrigendi, excommunicatos per manuum in fratres Ordinis violentam injectionem (quod Deus auertat) absoluendi, eo modo quo dicitur 4. parte. cap. 17. §. 4. super irregularitate quæ incurritur propter celebrationem, & receptionem Ordinum cum censura dispensandi: litteras fraternitatis suæ Prouinciæ concedendi personis pertinentibus ad suam Prouinciam; visitationem, vel correctionem per alios faciendi si personaliter accedere non valeret, & periculum cerneret imminere: fratres suæ Prouinciæ, de Conuentu ad Conuentum permutandi, etiam si cum obedientia simplici fuerint assignati in aliquo suorum Conuentuum per Priorem Generalem, præterquam ad Conuentum eos mittere, à quo sunt mutati, & nisi in

eius obedientia caueretur, aut prohiberetur, ne per alium quàm per Priorem Generalem mutarentur.

14. In recipiendis ad Professionem non sit nimiùm facilis, ne inepti ad institutum nostrum admittantur; & licet specialem authoritatem Nouitios recipiendi, & professandi possit alicui concedere, si in genere eam concedat, hoc faciat adhibitis sequentibus conditionibus, scilicet consultis præsertim Priore, Subpriore, & Magistro Nouitiatus, imò adhibeat votum Capituli Conuentualis; circa verò dimittendos ob defectum capacitatis, & aptitudinis ad nostrum institutum fortiter se gerat, ac omni timore deposito, & quocunque respectu humano, aut mundano fauore posthabito, solùm Dei gloriam, & Ordinis decus, (quod in turba inepta non consistit) quærens dimittat.

15. Ad Ordines sacros similiter promoueat, aut curet promoueri eos qui secundum Canones, & Concilium Trid. idonei sunt, & de quorũ vita exemplari, bonis moribus, & sufficienti doctrina, bonum habuerit testimoniũ.

16. Specialem habeat curam Conuentuum Nouitiatus, seminarij, siue Professorij, & eorum vbi habentur studia Philosophiæ, & Theologiæ, eosque personaliter visitare tenebitur, nisi res, aut infirmitas grauis excuset, ibique tantum temporis manebit, quantum satis erit ad perfectum examen, tam Nouitiorum, tam iuniorum Professorum, quàm studentium, an in vtroque spiritu pietatis, & scientiæ proficiant, an regularis obseruantia, & studia vigeant.

17. Fratres de sua Prouincia ad aliam pro necessitate, & negotijs Prouinciæ, vel alicuius Conuentus vrgentibus, cum litteris testimonialibus destinare poterit, tempore de reuersione in eisdem litteris limitato.

18. Priuilegia vel quascunque res alias de Conuentu ad Conuentum poterit transferre, data super hoc littera

teſtimoniali Conuentui à quo talia transferentur, & eidem Conuentui reſtituantur citiùs quàm fieri poterit bono modo, niſi talia eſſent de communitate Prouinciæ, quia tunc poſſent retineri in Conuentu aptiori ad cuſtodiendum, ſi videretur expediens Prouinciali.

19. Item ſtatuimus, vt Priores locales, qui ea, quæ ad officium ſuum pertinent, ſcilicet qui chorum, Capitulum, refectorium non ſequuntur regulariter, ab officio deponantur per Priorem Prouincialem ſub pœna depoſitionis ab officio Prouincialatus: Nullus tamen localis Prior abſoluatur, ſi Prouinciale Capitulum fuerit celebrandum intra ſex menſes, & in ſuis viſitationibus poterunt Prouinciales omnia facere quæ ſpectant ad reformationem morum, & obſeruantiam regularis diſciplinæ intra tamen limites ſuæ poteſtatis.

20. Ordinamus etiam ſub pœna depoſitionis ab eorum officijs, vt mittant viſitatorem ad Conuentus, ad quos non poterunt commodè accedere, cui habeant expenſas rationabiliter de Conuentu ad Conuentum aſſignare, & moderatè taxare pro ſe, & ſocio.

21. Vbi Prouincialis in viſitatione, vel extra comperierit aliquem Religioſum de aliquo crimine diffamatum, ſtatim abſque vlla dilatione, & mora proceſſum legitimè procedendo tamen ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & non ſeruatis apicibus iuris conficiat, & abſoluat, & immediatè conſulto Generali Ordinis, ſi de re graui agatur, ſententiam proferat, & exequatur, aliàs tranſactis duobus menſibus, omnia inquiſitionis acta contra dictum Regularem ſint nulla, niſi aliter Reuerendiſſimus Pater Ordinis expedire iudicauerit, vel niſi ob nimiam Prouinciarum diſtantiam maius fuerit neceſſarium tempus ad expectandum à Reuerendiſſimo Patre iam ob criminis grauitatem conſulto, reſponſum.

22. Poterit etiam Prouincialis Priorem localem con-
feſſum ,& conuictum de aliqua notabili culpa ab officio
abſoluere: ſi huiuſmodi culpam negauerit, ſitque neceſ-
ſe proceſſum inſtituere, donec tale delictum ſufficienter
probetur, poterit illum aliò vocare, aut etiam ſuſpende-
re, maximè ſi immineat grauis, & vrgens ſcandali occa-
ſio, & in vtroque caſu Vicarium inſtituere, qui regat
Conuentum vſque ad Capitulum Prouinciale, ſi eo an-
no celebrabitur, vel vſque ad proximam congregatio-
nem Patrum Definitorum, à quibus cauſa Prioris ſuſ-
penſi terminabitur, illæſa tamen manente authoritate,
quam Reuerendiſſimus Pater Generalis habet per has
conſtitutiones ex cauſa vtili, & neceſſaria, quando vi-
ſum erit in quocunque Conuentu abſoluendi,& inſtituen-
di Priores : Declarantes quòd nec Capitulum Prouin-
ciale poterit Prouinciali dare licentiam deponendi Prio-
rem localem pro libito, & ſine culpa legitimè, & ſuffi-
cienter probata,quod ſi ſecus per eum actum fuerit,totum
eſſe irritum, & nullum declaramus.
23. Item ſtatim ac aliqui fuerint abſoluti ab officio
Prioris, curabit Prouincialis, vt rationem reddant,
tàm introïtus, & exitus, quàm omnium bonorum mobi-
lium,& immobilium Conuentus.
24. Item decernimus, & mandamus omnibus Prouin-
cialibus, & præſertim vltra montanis, ſub pœna rebel-
lium, vt ad Patrem Generalem Ordinis vnuſquiſque ad
minus bis in anno tranſcribat fideliter ſtatum ſuæ Pro-
uinciæ, maximè verò ante præfinitum tempus vt habe-
tur cap. 11. 4. partis, de dyſcolis, delinquentibus, & ſcan-
daloſis, & de Apoſtatis, vt ipſe Reuerendiſſimus Pater
ſe prudenter gerere poſſit in regimine Religionis,& ſciat
quomodo debeat ad ſe confluentes tractare.
25. Non audebunt Prouinciales, ſub pœna depoſitionis
ab officio,licentiam ſacrorum Ordinum alienæ Prouin-

tiæ Regularibus impertiri inconsulto Prouinciali illius Prouinciæ, vel Priore Generali, esto quòd promouendi iampridem maneant in ea Prouincia.

26. Nequeant morari Reuerendi Prouinciales in Conuentibus Priori Generali immediatè subiectis, vltra tres dies absque consensu Prioris Generalis, sub pœna priuationis ab officio, & amissionis suarum taxarum.

27. Nemo ex Prouincialibus tentabit expellere Regulares à sua Prouincia, sine licentia Prioris Generalis, nec nostræ, seu alienæ Religionis admittere apostatas, nec strictè obseruantes (dum tota Prouincia non fuerit reformata) cum alijs confundere, sub pœna priuationis ab officio.

28. Item inhibemus Prioribus Prouincialibus, seu quibuscunque Vicarijs, aut Præsidentibus Priori Generali inferioribus, ne possint concedere licentiam, seu gratiam alicui fratri Ordinis, vt non intersit horis diuinis in choro nocturnis, aut diurnis: exceptis lectoribus actu legentibus, atque studentibus in studio deputatis, seu fratribus prædicaturis, quibus tempus conueniens assignabit, & si aliquis dictorum Superiorum alicui fratri cuiuscunque gradus, conditionis, vel dignitatis existat, concedat licentiam intrandi ciuitatem, oppidum, vel villam; ea non vtatur nisi de scitu Prioris localis, & quicunque à dictis Superioribus ad quodcunque opus fuerit missus extra Conuentum, debet saltem monere Priorem localem de suo egressu.

29. Item vt occurramus nonnullis incommodis, quæ interdum causari solent ex intempestiua Prioratuum renunciatione, & voluntario vocalium augmento in certis quibusdam Conuentibus, inhibemus ne Prouincialis in posterum, infra sex menses immediatè præcedentes Capitulum Prouinciale celebrandum, valeat admittere renunciationem alicuius Prioratus, nec augere numerum

Vocalium in Conuentibus vbi eligendus est socius post præfinitum tempus cap. 11. 3. partis. Sub pœna priuationis Officij, nec non vocis, & loci ipso facto incurrenda, & insuper ex nunc pro tunc irritam, & nullam declaramus omnem renunciationem cuiuscunque Prioratus, & prouisionem inde secutam noui Superioris, nec non aliam electionem cuiuslibet socij ob adauctum vocalium numerum contra statutum præfatum.

30 Prouinciales omnes, & singuli tertio suæ functionis anno in Dominica tertia post Pascha officium deponant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & inhabilitatis ad officia Ordinis in perpetuum, si obedire neglexerint, & eo casu primus Definitor præcedentis Capituli prouinciam reget, & Capitulum congregabit, nisi aliter per R. P. Ordinis decerneretur.

31 Volumus tamen quòd Prouincialis officium depositurus tempore superiùs definito conuocet Capitulum Prouinciale, in eodem tamen præsideat non ipse, sed primus, vel maior ex Definitoribus, nisi de alio Præside prouisum fuerit per Reuerendissimum Patrē Generalem, qui ad libitum potest Præsidem instituere in omni Capitulo Prouinciali licet non Prouincialem qui absoluendus est ab officio, qui nihilominus erit de gremio, & ingredietur definitorium, non tanquam Definitor, sed tanquam Consiliarius vsque ad finem Capituli, esto etiam Reuerendissimus P. Generalis alium instituerit Præsidentem.

32 Omnibus Prioribus Prouincialibus, seu localibus nostri Ordinis inhibemus ne alicui fratri concedant licentiam quòd ad titulum Episcopalis dignitatis se promoueri faciat, vel ad officium Pœnitentiariæ D. N. Papæ; vel quodcunque officium extra Ordinem; ordinantes, & declarantes quòd quicunque frater noster assumptus fuerit ad officium Pœnitentiariæ D. N. Papæ, aut Episcopatum, aut Archiepiscopatum quemcunque

vel adeptus fuerit extra Ordinem ex diſpenſatione beneficium aliquod, vel officium, ipſo facto ab omni officio quod tenebat in Ordine ab olutus ſit, nec vocem aut locum habeat, idque ex indulto Calixti tertij, & Sixti quarti, niſi Prior Generalis cum eo diſpenſauerit, & ſi aliquorum bonorum vſus ei concedatur, id fiat confecto fideli inuentario, & data per eum cautione ſub publico inſtrumento, in quo recognoſcat omnia illa bona quoad proprietatem eſſe Ordinis, & quòd ſolùm habet ab eo conceſſum ſibi vſum; & quòd præterea poſt eius obitum ſunt eidem Ordini reſtituenda.

33 Adueniente Capitulo Prouinciali, ad locum vbi celebratur maturiùs accedat, vt cum Priore, & fratribus domus, de neceſſarijs ad fratres breui venturos honeſtè recipiendos prouidere poſſit.

CAPVT XXX.

De officio Socij Prouincialis.

1 ORdinamus quòd Prior Prouincialis electus in Capitulo Prouinciali ex animi ſententia ſibi eum ſocium, qui ſit probatæ & laudabilis vitæ aſciſcet.

2 Socius iuriſiurandi religione adſtrictus in definitorio ſe vniuerſis officium ſuum ſpectentibus fideliſſimum præſtabit. Exinde Prouincialis alium non poterit eligere toto triennio, niſi ex hac vita diſcedat, vel

ob infirmitatem reddatur inhabilis, vel probetur contra eum aliqua notabilis culpa, putà infidelitatis, aut alterius generis, in quo tamen casu eo negante Prouincialis solùm poterit eum suspendere vsque ad proximum Capitulum Prouinciale, vel Definitorum congregationem in qua terminabitur causa; interim tamen assumet Prouincialis, alterum socium si benè ei visum fuerit.

3. Officium eius erit in omnibus, sed præcipuè in visitationibus Prouincialem comitari, iuuare, & circa cuncta eius officium spectantia perspicere, & quos defectus in Conuentibus animaduerterit corrigendos de his Prouincialem monere.

4. Aderit scrutinio, & notabiles defectus generales vel particulares adnotabit in charta dictante Prouinciali, vt si in Capitulo sint publicandi à socio legantur quæ verò fratres voluerint secretè Prouinciali notificare, ab eodem nec audiantur, nec scribantur.

5. Ad eum etiam spectabit præcipuè libros computorum perlustrare diligentiùs, tum etiam inuentaria omnium vtensilium, librorum, & ornamentorum examinare, & designata quælibet videre, & si quid sit deperditum, & detritũ, & eorũ omniũ statum Prouinciali fideliter deferre.

6. Eius etiam erit litteras iustitiæ, obedientiæ seu licentiæ conficere, propria manu subsignare, & sigillanda sigillare iuxta voluntatem Reuerẽdi Patris Prouincialis.

7. Ordinamus quòd in Capitulo Prouinciali, socij Prouincialium habeant locum post Priores locales, curam animarum habentes, in Conuentibus autem durante actuali visitatione, etiam Priores præcedent, sed post visitationem actualem locum suæ professionis occupabunt, & licet Priores, Vicarij, aut Subpriores post eum sedeant, in choro tamen, refectorio, & alibi illis præsentibus signa dabunt, non autem alij.

CAPVT XXXI.

De visitationibus Reuerendi Patris Prouincialis, vel eius Commissariorum.

1 CVm ruina totius Ordinis ex defectu proueniat debitæ visitationis; Ordinamus quòd Prouincialis singulis annis semel saltem visitet omnes Conuentus, hospitia, seu mansiones: & si Prouincialem infirmitate, aut alia euidenti necessitate, vel causa detineri contigerit & impediri, ordinet aliquem fide dignum, honestum, & discretum è fratribus, qui eius vices suppleat, cui socium assignabit, & cum fuerit requisitus, aut necessitas fuerit, eat ad visitandum.

2. Quòd si Prouincia non fuerit totaliter reformata, tàm Prouincailis, quàm alius quilibet visitator, si non fuerit sub eadem reformatione professus, dum visitat Conuentus has constitutiones obseruantes, socium ad minus assumere teneatur ex has profitentibus ab ijsdem reformatis in Capitulo eligendum, qui in omnibus quæ ad fratres reformatos spectabunt tàm in actuali visitatione quàm extra habebit votum decisiuum, demisso pro tunc socio electo in Capitulo à Prouinciali. Videant fratres quòd Superiores ad se venientes, aut missos ad visitandum humiliter, & honestè statim sine

contradictione recipiant, & debitam eis reuerentiam, & obedientiam vt decet exhibeant, quòd si non fecerint ipso facto iudicamus eos conspiratores, & pœna conspiratorum puniendos.

3. Ordinamus item quòd Vicarijs, Commissarijs, & visitatoribus sic missis, tempus, & authoritas per litteras eorum limitetur, & quòd ipsi Prioribus, & Conuentibus eis quorum intererit faciant de sua potestate, & authoritate copiam: statuentes quòd nulli Vicario credatur, nisi postquam litteras suæ commissionis legerit, aut legi fecerit in præsentia eorum, aut maioris partis, super quibus habet exequi commissiones, vel nisi exemplar, seu copiam miserit eiusdem: Volentes quòd si quis commissionem extenderit vltra id quod commissum est, pœna vsurpantium officium maiorum, quæ est carceris, puniatur, nec tales Vicarij possint totas vices suas alijs substituere nisi in litteris commissionis hoc expresse contineretur.

4. Seruabunt Prælati Ordinis illam laudabilem consuetudinem, vt adeuntes Conuentus, seu Monasteria, primò Ecclesiam ingrediantur, & ibi à fratribus reuerenter recepti dicantur preces pro aduenientibus, vt in Cæremoniali præscribuntur, quibus persolutis introducantur in habitaculum seu hospitium honestè, & decenter præparatum, nec in ipso sui aduentus articulo quidquam de sua commissione exequantur nisi pro graui, & euidenti necessitate.

5. Assignato visitationis tempore primò manè visitator fratres ieiunos conuocabit ad Ecclesiam, vbi sacrosanctum Missæ sacrificium celebrabit, post communionem accedens socius etiam ieiunus cum cappa alba, & stola ambo visitabunt sanctissimum Domini nostri corpus, quòd si non celebrauerit Missam, ex integro cum socio & Conuentu audiet, & post communionem, vterque

indutus cappa alba, & ſtola circa collum viſitaturus accedet, fratribus interim ſuo ordine genuflexis perſpiciant accuratè, an cum ea qua decet reuerẽtia cuſtodiatur, videlicet in vaſe argenteo clauſo intuſque deaurato, atque obducto, in fundo præſertim interioris partis mundiſſimo candidoque corporali; poterit tamen vas ſi benè intus deauratum ſit, ſine corporali intus exiſtente permitti, quia ſic mundiùs conſeruari ſanctiſſimum Sacramentum docet experientia; & Clemens VIII. viſitando Eccleſias vrbis ſic obſeruari præcepit: ſi idem vas ſuperpoſitum teneatur ſuper lapide ſacrato, cooperto etiam candido corporali, ſi armariolum tabernaculi in quo reſidet vas prædictum vndique cinctum ſit, & velatum panno ſerico integro, & aptè diſpoſito; an oſtiolum habeat rectè munitum ſera, & clauis firmis, & decentibus; an tabernaculum ligneum elegantioris artificij quàm fieri poterit ſcateat vermibus, & ſit adeò clauſum vt ne minutiſſimis animalibus aditus pateat; ſi humido parieti hæreat vnde ſanctiſſimi corporis ſpecies, vel leuiter breui tempore alterentur, vel malum contrahant ſaporem: diligentiùs verò, & oculatiùs inſpicient etiam appoſito propinquiùs lumine, an hoſtiæ ſiue prædictæ ſpecies corruptæ ſint, vel corruptionis aut vetuſtatis ſigna aliqua ferant, ſi corroſæ aut Miniſtrorum culpa maculatæ, ſi vermiculi in vaſe argenteo, tam ſuper, quàm ſubter corporali reperiantur, ſi ibidem minutiſſimæ etiam hoſtiarum reliquiæ, & fragmenta quæ corpus Domini ſunt ſegniter relinquantur, & non aſſumantur à Sacriſta, vel à renouante ſemel ſaltem in hebdomada ſanctiſſimum Chriſti corpus, ſiue hoſtias aſſeruatas, an etiam è conſpectu pretioſiſſimi Sacramenti cõuenienti loco & diſtãtia conſtituta ſit lampas perpetuo lumine accenſa. Hæc & his ſimilia ad honorem tanti Sacramenti ſpectantia

ſtudioſè perpendant, ac culpis miniſtrorum, & eorum omnium quibus tantæ rei incumbit cura ſignatis,ſeuerè ſuo tempore puniendis ea accommodent, & diſponant, quæ tamen locus, & tempus conceſſerint, non prætermittant quamprimùm ea omnia exequi facientes, quæ ſecundum præſcriptam cuſtodiæ formulam neceſſaria videbuntur; prouidentes etiam ſuo tempore vt inuiolabiter ea omnia obſeruentur

6 Dum verò iſta fiunt,cantetur à Conuentu genuflexo Hymnus,Pange lingua, inchoatus a Prælato etiam genuflexo ante ſacramentum ſtatim vt ipſum è tabernaculo thurificatum eduxerit,quo finito,&poſt prædictam viſitationem, cantato à duobus verſu Panem de cœlo præſtiti eis, & Reſp. omne delectam. &c. Dicat Prælatus. Oremus. Deus qui nobis ſub Sacramento &c. & conuerſus ad fratres & populũ cum Sacramento in vaſe,ipſos cum tribus crucibus nihil pronunciando, benedicat, quibus expeditis,& repoſito ſacramẽto in tabernaculo iterũ thurificato finiatur miſſa, atque ea cõpleta viſitet oleum ſanctum, quod in eodem tabernaculo vbi continetur ſanctiſſimum Chriſti corpus aſſeruari nolumus, neque Sanctorum reliquias,ſed ſeorſim in aliquo alio loco decenti, & honeſto; viſitet inſuper baptiſterium vbi in Eccleſijs noſtris reperiri contigerit, & caueat ne quidpiam minus decens, & honorificum in eorum veneranda conſeruatione patiatur,& in præfatis omnibus exactè ſeruetur Ceremoniale.

7 His peractis omnes ſe recepiant in locum pro Capitulo habendo deputatum, & ad ſignum Prælati genuflexi recitent alternatim Hymnum Veni Creator inchoatum ab eodem Prælato ſubmiſſa voce,vt ſibi videbitur,in fine Kyrie eleyſon,&c.& ne nos.DomineDeus virtutum conuerte nos, &c. ora pro nobis &c. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum &c. Oremus. Protege Domine ſa-

mulos tuos ſubſidijs pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros. Oratio.

DEus virtutum cuius eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum, vt quæ ſunt bona nutrias, ac pietatis ſtudio quæ ſunt nutrita cuſtodias. per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

8. Poſt hæc congregatis fratribus in Capitulum, Prælatus, ſeu alius viſitator habeat aliquod exhortationis verbum, quo fratres breuiter ad legum cuſtodiam, ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ad ſcandala fugienda, ad obedientiam, & reuerentiam reddendam maioribus, ad charitatem veram habendam, & inter ſe ſeruandam, & huiuſmodi ſecundum quod Spiritus ſancti aura afflauerit hortetur.

9. Demum ſub cõminatione diuinæ authoritatis, quam in officio præfert Prælatus & paſtor gregis Dei, ſi fuerit Generalis, vel Prouincialis, vel authoritate ei commiſſa ſi fuerit Commiſſarius dicat.

10. Ego præcipio vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præuaricatione profeſſionis veſtræ, vt de Priore, Subpriore, Regente, Clauarijs, & ſingulis fratribus Clericis, & laïcis, & de familiaribus, & famulis domus, vnuſquiſque cum fuerit interrogatus quidquid ſcit dignum accuſatione, & quod dictabit ei conſcientia eſſe corrigendum, & emendandum pro honeſtate, & vtilitate domus, & animarum ſalute, dicat purè, & veraciter ſecluſo omni odio, fauore, & amore, & quocunque ſimiliter ſecluſo pauore, ex ſolo timore Dei & periculi magni damnationis animarum veſtrarum. Timeant autem ne periurij infamiam incurrant, & Ordinis grauioribus correctionibus puniantur.

11. Caueant tamen ſinguli ne publicè aliquod crimen

11 Caueant tamen ſinguli ne publicè aliquod crimen de altero dicant quod nequirent probare ſub pœna talionis, & dicat eis quòd in viſitationibus, & inquiſitionibus Prælatorum præceptum eſt pro iuramento ſuſcipiendum, ita vt ſi quis ſciens veritatem celaret, incurreret culpam periurij pro tali poſtmodum puniendus: etiam poterunt ſub pœna excommunicationis præcipere, ſi voluerint, vt veritatem referant; caueat tamen viſitator ne leuiter omni ſpiritui credat, nec aliquem condemnet ad vnius vocem, aut per ſimplicem ſuſpicionem.

12 Prædictis adhortationibus & admonitionibus peractis proſequatur ſuam viſitationem, & exinde vſque ad Capitulum culparum, nec Prior, nec frater aliquis de Conuentu ſine ſpeciali licentia Viſitatoris extra Monaſterium ire præſumat.

CAPVT XXXII.

De Scrutinio, & inquiſitione Prælatorum, aut viſitatorum, & alijs faciendis in Viſitatione.

1 CVm Prælatus, aut Viſitator, non tam iudicem, quàm patrem, inter noſtros Regulares repręſentare debeat, omnibus exponat communem fraternæ cor-

rectionis doctrinam, ne fortè charitatis leges, aliquorum fratrum ignoratione violentur, quod accuratiùs efficiet erga singulos, quos interrogabit, antequam illi quicquam corrigendum deponant, & eos de sequentibus præmoneat, imò ipsemet aduertat.

2. Imprimis, quòd omnis frater cuiuscunque status, si sciat aliquod crimen in Priore, Procuratore, aut quocunque alio, quòd debeat corrigi, tenetur reuelare, etiam si non esset super hoc interrogatus, & hoc secretò, nisi vellet probare, quia tunc posset dicere manifestè.

3. Et quicunque interrogatus per visitatores veritatem celauerit, à nullo fratre absoluatur, nisi à Priore Generali, vel Prouinciali, vel de eorum speciali licentia, vel nisi cum pœnitentia 10. dierum in pane, & aqua, nonobstante quacunque gratia tali fratri concessa, quòd possit absolui ab omnibus casibus à quibus Prior Generalis aut Prouincialis possunt absoluere.

4. Benè caueant visitatores, & eorum socij quòd secreta audita, extra Capitulum nunquam publicent in scandalum cuiuscunque, & etiam faciant tale præceptum omnibus quòd nihil quod sit magis tacendum, aut quod cedat in infamiam cuiuscunque presumant manifestare: sed solùm in publico Capitulo, vt dictum est, reuelent, quod mandat visitator, vel quòd euidens ratio dictat, si sint defectus qui probari possint: & aduertant quòd si quis secreta Capituli cuiuscunque, illa scilicet quæ Prælatus celanda commiserit sæcularibus, aut alijs Religiosis reuelauerit, ipso facto sit excommunicatus, careat voce & loco, & pensato scandalo, siue damno inde contingente, pœna grauioris culpæ rigidè puniatur.

5. De his quæ sic dicuntur secretò visitatoribus, debent ipsi facere diligentem inquisitionem à longè,

non nominando personam denunciantem, sed neque denunciatam, sed de vitio & crimine tantùm inquirant, an sciant aliquem inuolutum tali crimine, vt sciant an sit secretum, aut pluribus notum, sicque possit probari, & inquisitione facta denunciatus vocetur ad partem, & interrogetur, an res ita se habeat, & si probetur contra eum, ipso negante, acriùs puniatur secundũ casus exigentiam, siue Prior fuerit, siue alter, si verò Prior nisi casus esset omnibus manifestus, & non esset tunc propter casum deponendus; in præsentia aliquorum de discretioribus corrigatur; si verò factum, sit notum omnibus, coram cunctis arguatur.

6. Dum verò fratres pro informatione totius regiminis ex officio examinauerit, scribat ea quæ sibi dicta, vel reuelata fuerint in libello, in quo vnusquisque frater singula quæ dixerit, manu propria, suo nomine confirmabit, sic tamen cautè, vt aliorum testimonium legere non possit, vt si fortè super aliquo casu contentio oriatur, habeat visitator vnde veritas innotescat, & dum vocat vnum post alterum inquirat primò, an in visitatione præcedenti fuerit aliquis defectus, & quæ accusanda non fuerit accusata, ac corrigenda correcta; an promittentes emendationem se emendauerint: an præcepta, vel decreta, in dicta visitatione facta benè seruauerint, & si aliquis Præsidens aut subditus neglexerit custodire ea, acriter corrigatur tanquam inobediens.

7. Caueant tamen visitatores de grauioribus, & infamantibus delictis iuniores interrogare, nisi in vrgenti necessitate, & indaganda rei alicuius grauis veritate.

8. Primum omnium Priorem, aut Vicarium domus interrogabit, num aliquid vrgeat, cui statim sit necessariò remedium adhibendum; deinde si ordinata in præcedentibus visitationibus fuerint obseruata; an habeat aliqua præmonenda de quibus fieri velit examen particulare.

lare. Et consequenter cæteros sic benignè alloquetur, inquiretque circa chorum, & Ecclesiam, an officium diuinum, ea, qua decet reuerentia celebretur; an omnes fratres diurnis, & nocturnis horis regulariter intersint; an grauitas, & pausa in cantu, & psalmodia seruetur; an aliqui sint suspecti de horis non dicendis, de non confitendo frequenter, de immiscendo se sacris Mysterijs indeuotè; an orationi mentali, omnes secundum Constitutionum præcepta feruenter incumbant; an ceremoniæ in ordinario seu ceremoniali præscriptæ exactè obseruentur; an earum executioni, & praxi iuniores studeant ita vt eas perfectè addiscant; & similia.

9. Secundò circa vota inquirat, an sint aliqui qui vtantur superfluitatibus in vestimentis, aut in eis non seruent vniformitatem tàm in materia, quàm in forma habentes aliqua more sæcularium consuta, camiseas lineas, zonas, cultellos, thecas instructas, inscio Superiore: an aliqui suspecti sint de vitio proprietatis: an sibi donata approprient, & an omnia Ordini data non veniant ad manum Prioris, aut Procuratoris: an cellæ extraordinaria supellectili instruantur, an aliqui in eis deposita seruent.

10. An sint aliqui de nimia familiaritate cum inhonestis personis suspecti, aut frequentiùs sine scitu, & licentia Superioris, cum mulieribus loquantur; an sint assueti parùm honesta verba quibus castæ aures offenderentur proferre; an prætextu recreationis de rebus impuris impurè loquantur, ita vt cæteri malè ædificentur; an cantent cantilenas sæculares, turpia, aut vitiosa sonantes, & sic de similibus.

11. An omnes Religiosi debitam Priori exhibuerint reuerentiam: an sint inobedientes, an quando accusati, aut reprehensi sunt patienter, & benignè sustineant, emendationem promittentes.

12. An in Capitulo in Superiorem insurrexerint clamorosè : an officijs impositis non satisfecerint, aut præcepta contempserint; an regulæ & Constitutionum fuerint obseruatores, in ijs præcipuè quæ ad silentium, cellæ custodiam, mutuam conuersationem, & cæteras communes obseruantias spectant.

13 Tertiò inquirat an æqualiter omnes actibus vitæ communis intersint tempore Capituli, vel alio pro culpis dicendis, exhortationibus, lectionibus & similibus : an ieiunia regularirer à valentibus obseruentur; an ferijs quartis & alijs prohibitis, aliqui carnibus vescantur; an frequentauerint refectorium, & à prima mensa absque necessitate abesse soleant aliqui : an aliqui in victu singulares sint.

14 Quartò sciscitetur an sit bona pax & concordia inter Priorem, & singulos fratres : an omnes animanter, & pacificè conueniant, & si reperiat, quòd non sit pax bona in domo, inquirat diligenter causam radicitùs, & asperè corrigat discordiæ authores : an sint modesti, & decenter compositi tàm in choro, quàm alibi, maximè coram externis; an se inuicem omnes honore præueniant : an sint murmuratores, detractores, famam aliorum notabiliter lædentes; an sint (quòd absit) prohibitorum ludorum lusores; an luserint cum sæcularibus, vel in eorum præsentia: an habitum ludendo dimiserint, an aliqui sint assueti aliqua verba per modum iuraměti pronunciare; an intus vel extra aliqui contra temperantiam cibi, aut potus peccauerint, aut scandalum aliquod commiserint; an aduersùs Prælatos Ecclesiæ, & locorum Ordinarios, aut de statu politico, vel priuatim, vel publicè concionando aliquid imprudenter dixerint; an Religiosis aliorum Ordinum, & omnibus personis Ecclesiasticis honorem non exhibuerint.

15 Quintò de Prælato, & officialibus Conuentus inquirat de Priore, an dederit fratribus bonum exemplum sequendo chorum, & refectorium, in obseruantia silentij, in horis & locis congruis, in abstinentijs, ieiunijs & ceremonijs Ordinis; an fecerit legi Regulam, & statuta, & eadem obseruare curauerit, quia sicut per Prælatorum diligentiam ordo constituitur, ita per eorum negligentiam, & incuriam omnino destruitur; an ad Capitulum fratrum explicauerit Regulam, & constitutiones; an fuerit negligens facere Capitula & exhortationes; an negligens corrigere defectuosos, & fratrum excessus in subuersionem Religionis: an cum grauitate suæ dignitati conuenienti, intus & extra semper sit conuersatus; an perhumaniter ad se accedentes fratres susceperit, & cum benignitate in spiritualibus, & corporalibus, eorum curam habuerit; an erga infirmos nostros, & hospites debitam charitatem exercuerit, an erga omnes æqualitate affectus non seruata, familiariùs aliquos cæteris dilexerit, & similia.

16. De Subpriore, an choro, & diuinis officijs regulariter adsit, an inter ipsum & Priorem sit bona pax mutuaque intelligentia; an sit sollicitus vt diuinum officium ordinato tempore quotidie deuotè celebretur; an habeat curam vt omnia in Monasterio sint munda, & decenter composita, in locis præsertim communibus magis aspectui sæcularium patentibus, & officinis; an in assignandis per tabellam officijs sit personarum acceptor; an iuniores in cantu, & ceremonijs instruere sit sollicitus, &c.

17. De sacrista, Procuratore, cæterisque Conuentus Ministris inquirat an rectè, & religiosè suis muneribus prout in Constitutionibus præscribitur functi fuerint, præcipua puncta quæ tenentur obseruare poterit breuiter recensere, vt promptiùs quisque defectuum commissorum

recordetur, inquirat etiam de Prædicatoribus, & Confessarijs: Item de famulis domus, & Donatis seu Oblatis, si qui sint, an cum Dei timore, & amore viuant, an sufficienter sint instructi in his quæ ad salutem spectant, an sint scandalosi, & malæ famæ, &c. In Conuentibus studiorum diligenter inquirat quomodo litterarum studia vigeant, & quàm exactè seruentur regulæ à fratribus studentibus: de studentium progressu periculum faciet, & vtrum sint aliqui amouendi, vel ob ingenij tarditatem, vel ob culpas iudicabit, vt à scholis amoueat: inquirat de Regentibus an doctrinam communem doceant, an nimiùm nouarum opinionum sint amatores, &c. an ardeant exemplo, pietate, & bonis operibus sicut lucere debent scientia, & doctrina.

18. In Conuentibus seminarij, seu professorij, vel vbi docentur Rhetorica, & linguæ diuersæ, exploret qui ad maiora studia Philosophica, aut Theologica sint promouendi, non modo litterarum capacitatem attendat, verùm etiam mores, pietatem, humilitatem, obedientiam, & in spiritualibus exercitijs profecturos promoueat: dyscolos verò, si qui sint, rebelles, negligentes, indeuotos, suæ perfectionis internæ parùm sollicitos moneat, vt morum, & vitæ emendationi incumbant accuratè, quòd si neglexerint, sciant se omni studio perpetuò priuandos. In Conuentibus Nouitiatuum de admittendis ad professionem, aut ad sæculum dimittendis seriò cogitet, inquirat à Priore, Subpriore, Magistro Nouitiorum, alijsque Patribus, si opus sit, in consilium adhibitis de singulorum capacitate, aut incapacitate; iudicet ex æquo de causis sufficientibus ad admissioné, aut dimissionem; scrutetur an benè secundum nostri Ordinis institutum à Magistro informentur: Nouitios priuatim alloquatur, de statu interroget, & si quos circa eorum educationem, & institutionem defectus deprehenderit,

Priorem & Magiſtrum Nouitiorum moneat.

19. In hoſpitijs, & Conuentibus minoribus inquirat an diuinum officium quotidie celebretur præſertim in locis vbi in oratorio, ſeu capella reſidet ſanctiſſimum Sacramentum, & ſi in eo defecerint fatres, ſtatuat quòd in poſterum ſimul in chorum, aut alium commodum locum fratres conueniant ad illud deuotè perſoluendum.

20. Curabit hoc examine completo, opportuno tempore redire in eccleſiam, & videat an in ea omnia ſint honeſtè ornata, & aptè diſpoſita, vt veram Religionem verumque Dei cultum præſeferant: ſingula altaria an ſint decentibus & honeſtis velis cincta, tribus mappis lineis, tapete laneo, vel coriaceo cooperta; an iuſtis ſpatijs inter ſe diſtincta, & æquali quantum fieri poterit magnitudine conſtituta inſpiciet: an confeſſionalia in locis patentibus ſint collocata, & conſtructa ſecundum formam in his conſtitutionibus præſcriptam cap. de Confeſſarijs parte prima. Conſumptas imagines per patronos reparari, & ſi deformes, vel minus decentes cooperiri, vel tolli omnino prouidebit, & omnibus in eccleſia ita perſpectis, quæ ordinauerit reparanda antequam diſcedat, ſi fieri poſſit reparentur.

21. In Sacriſtia omnia ſingulatim inſpiciet; an ſit aliquid deperditum, an conſumptum, an deaurationes ſacrorum vaſorum, vt calicum, patenarum in quibus potiſſimùm ſanctiſſimus Chriſti ſanguis conſecratur, ex parte ſint intus conſumptæ, & ne in patenis ſint cælaturæ prohibebit: videat vt tam corporalia, quàm purificatoria munda ſint, nihil lacerationis habentia, lacerando ipſemet, ſi quæ talia inuenerit, & comburendo vt decet ne amplius indignè tanto inſeruiant miniſterio: reliquiaria ſimiliter, & reliquias quæ in publicum proferuntur examinabit, an debeant & poſſint exponi: ſacras veſtes

aliaque paramenta,ſeu ornamenta;an ea cura,&munditia, quæ tantũ decet ſacrificiũ,cõſeruentur:Videat etiam quomodo obligationibus miſſarum ſatisfactum ſit, libros, & inuentaria perlegendo. Viſitabit prætereа librariam diligentiſſimè, dormitoria, cellas ſingulorum inſpiciendo accuratè, quibus libris, & vtenſilibus vtantur, prouidendo ne quidpiam teneant, quod ſecundum regularem profeſſionem non ſit, & quod ſecularem præſeferat libertatem, quam voto abnegarunt; & ſi quid in ſupellectili ſuperfluum offenderit, tollat, ac in delinquentes animaduertat, videat etiam ne deſit, quod neceſſarium eſt.

22. Horrea frumentaria, ſi quæ ſint, cellam vinariam, officinam veſtiariam, ſutoriam, & cætera domus loca cum inuentarijs rerum mobilium ad ea ſpectantium, vt vini, frumenti,pannorum,coriorum, & ſimilium expendat,& ſi opus ſit, cum præcedentibus inuentarijs conferat.

23. Ædificia conſeruari, & ſi quæ ruinæ propinqua aduertat, inſtaurari curet; reditus & reliqua bona ſtabilia videat, an creſcant, vel minuantur: arcam trium clauium, & archiuum adeat: inquirat à Priore & diſcretis, an exempla authentica contractuum, fundationum, & aliorum inſtrumentorum maioris momenti, cæterarumque rerum ad bonum commune Conuentus fideliter ſint aſſeruata, videatque inuentaria, & ſciat, an eorum omnium exemplaria ad archiua communia Prouinciæ miſerint.

24. Deinde libros expenſi,& accepti, ſeu computorum leget, & ſi quid ex bonis Conuentus malè inſumptum fuiſſe repererit, pro modo culpæ pœnas infliget :an ſint lites pro rebus temporalibus petat, & diligenter fugiendas ſuadeat, nec abſque Prouincialis conſenſu ſuſci-

piendas prohibeat: an ære alieno obligatum ſit monaſterium, nec permittat obligari, niſi habita redituum, & eleemoſynarum ratione adſit ſpes breui ab eo liberandi, quòd ſi inuenerit debitis grauatum, attendat diligenter, quæ ſint cauſæ, & quare domus his debitis ſit oppreſſa, audiatque, ad maiorem notitiam habendam, ſingulos ad partem, tam Clericos, quàm laïcos fratres, famulos item, & familiares, vt inquiſitione facta defectus corrigat.

25. Viſitabit inſuper infirmatorium,& infirmos, ſi qui ſint, hoſpitium item, diligenter perquirens, an aliquid deſit neceſſarium pro illorum cura, & itinerantium hoſpitalitate, ne inter profeſſores perfectioris vitæ, & conſiliorum, pietatis opera negligantur, ac minus humanè, & religiosè præſtentur. Perluſtratis ita locis omnibus, boniſque Conuentus, fratres ſingulos, prout opportunum iudicauerit, examinabit ſolus extra ſcrutinium: & ſtatuimus quòd nullus viſitator Ordinis cuiuſcunque gradus exiſtat, poſſit aliquid recipere à ſubditis, vel ab eorum parentibus, & amicis, ſub pœna depoſitionis ab officio, eo facto, quo eſſent de hoc coram ſuo ſuperiore conuicti, vel confeſſi. Viſitatio hæc quoad culparum inquiſitionem, & correctionem quinque, vel ad plurimum ſex dies durabit; & viſitator pacis bonum tueri, ac poſt diſceſſum ſuum auctum in Conuentu relinquere curabit.

26. Expleta viſitatione, per aliquot dies in Conuentu immorabitur, prout ad fratrum ſolatium in Domino iudicauerit oportere, & ſingulos priuatim alloquetur, eorum ſpiritum examinabit, omneſque in Domino conſolabitur.

27. Vt tempus quo vacat in aliquo Conuentu rebus

maioris momenti possit impendere, gubernationem Conuentus, quoad eius temporalia bona, & rerum domesticarum curam omnem Priori, Ministrisque remittet. Poterit tamen quando iudicauerit opportunum Capitulum conuocare, præsidere, exhortationes, omnia & singula, quæ Priores in suis Conuentibus possunt.

28. Primo eius aduentus die elapso, sequatur refectorium, nec quicquam extraordinarium patiatur sibi dari, nisi ratione infirmitatis, aut debilitatis cogatur extra refectorium comedere.

CAPVT XXXIII.

Mortuo Priore locali, de eius electione quid faciendum.

1. SI contigerit Priorem mori ante Capitulum Prouinciale statim eius mors Priori Prouinciali si fuerit absens significetur per Subpriorem qui Conuentum habet regere, donec aliter sit prouisum, sed si Conuentus Subpriorem non habuerit, habens primam vocem in Conuentu, præsideat in electione Vicarij qui mox per Conuentum eligatur ad illius regimen, & ille mortem Prioris denunciet indilatè Prouinciali, qui prouidebit de Vicario, vsque ad Capitulum, vel congregationem: Et Conuentus ante Capitulum, vel congregationem aliquos idoneos ad regimen animarum definitorio nominabit.

2. Opportuno igitur tempore ante Capitulum Prouinciale, vel ante congregationem omnes Conuentus gremiales per ſuffragia ſecreta aliquos vt dictum eſt nominabunt definitorio quos aptos ad regimen animarum iudicabunt, vt definitorium ponderatis ponderandis, habita ratione dictæ nominationis, & attenta capacitate loci eligat vnum ex nominatis, aut alium prout in Domino videbitur expedire, & ſi qui Priores nondum ob aliquam iuſtam cauſam abſoluerint tempore Capituli triennium ſui Prioratus, poterunt confirmari vſque ad aliud Capitulum, vel abſolui vt omnes electiones fiant, & confirmentur ſemper in Capitulis.
3. Si Prouincia non fuerit tota reformata, aut definitorium non conſtabit ex ſolùm reformatis, & Conuentus fuerit declaratus à Reuerendiſſimo Patre ex ſtrictè obſeruantibus harum Conſtitutionum, virtute indulti Apoſtolici Calixti III. in fauorem reformatorum conceſſi, quòd ſcilicet fratribus in obſeruantia efficaciter viuere ſtudentibus, non poſſit alius dari Prior ab eo quem elegerint de eadem reformatione profeſſum, tunc electum ab illis aliquo nonobſtante legitimo impedimento, tenetur Definitorium confirmare: Mortuo itaque Priore in prædictis Conuentibus ſtrictè obſeruantibus, aut triennio Prioratus abſoluto, tempore conſtituto à Prouinciali, vel Præſide ab eo deſignato ad eligendum Priorem, ſic procedent. Primò manè diei conuocatis omnibus fratribus de Conuentu celebretur miſſa de Spiritu ſancto, alta vel ſubmiſſa voce ſecundum diſpoſitionem Præſidentis, ad Deum pro fœlici futuræ electionis ſucceſſu deprecandum, cui aderunt omnes electores, & cæteri conuentuales; abſoluta miſſa, ſigno campanellæ dato omnibus in choro præſentibus, annuente Præſide inchoabitur Hymnus. Veni Creator Spiritus, &c. Et cantando procedent ad locum Capituli, vbi vſque ad ſignum

Præsidis quiescant in oratione, qua peracta Præses subiunget. Kyrie eleyson, &c. Et ne nos, &c. Emitte Spiritum. Ora pro nobis. Saluos fac seruos tuos. Deus qui corda, &c. Protege, &c. Deus virtutum, &c. His dictis culpæ per Priorem, aut Præsidentem audiantur. Deinde expulsis non habentibus vocem, incipiatur electio Prioris, cæteris fratribus in choro, vel Ecclesia, in oratione perseuerantibus donec sit terminata.

4 Et procedatur ad electioné Prioris localis per suffragia secreta, suppressis nominibus eligentium, & qui plura vota habuerit quàm omnes, simul & coniunctim, sit Prior, & electus per Præsidem (nisi fuerit oppositum, & probatum legitimum impedimentum) confirmetur in hac forma. Ego authoritate qua fungor mihi commissa, nomine omnium eligentium, eligo, & denuntio te N. Priorem huius Conuentus N. & confirmo authoritate prædicta, secundum Ordinis instituta, tribuens tibi curam animarum omnium fratrum dicti Conuentus, & administrationem omnium bonorum spiritualium, & temporaliũ, in nomine Patris, &c. Quo facto si noluerit facere solemnitaté, dicat orationes sine cãtu, quæ dici solent post electionéPrioris Generalis. Quam electionem Capitulum Prouinciale, vel congregatio tenebitur approbare, & Prior sic electus, vel in Capitulis constitutus, suum exactè, & cum charitate exequatur officium, vt dictum est, & præfinitur parte 2. cap. 1.

5. Nullus Vicarius missus ad visitandum aliquos Conuentus, & ad præsidendum electioni Prioris, possit in Priorem eligi, etiamsi de eadem sit Prouincia, & reformatione, sine expressa licentia Prioris Generalis.

6. Item nullus in Priorem eligi potest, qui ab officio Prioratus propter sua demerita fuit depositus in aliquo Conuentu, nec illegitimus, nisi fuerit legitimè dispensatus, nec qui aliquando ab Ordine apostatauerit, nisi

fuerit cum eo diſpenſatum.

7. Item, neque qui in ſacris non valet miniſtrare, & qui non habet triginta annos ætatis, & quinque Religionis, & niſi doctrina, morum probitate, & induſtria, quæ ſuſcipiendæ animarum curæ neceſſaria eſt, abundè & ſufficienter inſtructus, à Prouinciali & Definitoribus iudicetur.

CAPVT XXXIV.

De electione ſocij Prioris ituri ad Capitulum Prouinciale.

1. INfra octo dies antequam Prior recedat ad Capitulum Prouinciale, conuocatis omnibus fratribus de Conuentu, qui Capitulo conuentuali debent intereſſe, expulſis non habentibus vocem, fiat electio per Gremiales ſocij ituri ad Capitulum Prouinciale per ſuffragia ſecreta.

2. Qui habuerit plura vota quàm omnes alij ſimul iuncti, eo ipſo ſocius habeatur, & ſi contingat electores non concordare, tertia vice qui plura habuerit vota quàm aliquis alius ſit ſocius, & ſi plures habuerint vota æqualia, ille ſit ſocius, qui reperietur antiquior in Ordine.

3. Simili electione qua eligendus eſt ſocius, eligatur Vicarius ad cuſtodiam, & regimen domus, durante Capitulo Prouinciali, ſi tamen contingat Priorem remanere infirmitatis cauſa, vel alterius neceſſitatis, nullus præter eum habeat curam regiminis; ſi verò

Subprior non eligatur in ſocium maneat Vicarius, nihil tamen ab electione ſocij valeat, aut præſumat innouare, vel mutare, niſi ex conſenſu totius Conuentus, & in neceſſitate.

4. Electo ſocio Prioris ad Capitulum ituri, & Vicario, ſi ſit eligendus ſtatim Præſidente ſocio, ſi Prior Generalis, vel Prouincialis non adeſſent, fiat diligens inquiſitio de Priore, & audiantur accuſationes, vel denunciationes contra eum à fratribus propoſitæ, & ſi fuerint de exceſſibus, & negligentijs notabilibus, redigantur in ſcripta, & ſuper eis ſumantur informationes, & ſi obiectæ culpæ fuerint ſufficienter probatæ, legantur in præſentia Prioris, nominibus tamen teſtificantium non expreſſis, niſi Prior id requirat, & vnà cum maiori, & ſaniori parte Conuentus videatur quid fieri debeat, & ſiue inficietur, ſiue fateatur Prior obiecta crimina, eius confeſſio deſcribatur, & eiuſmodi informationes eidem ſocio committantur ſub ſigillo communi Conuentus, Priori Prouinciali, & Definitoribus Capituli dentur fideliter præſentandæ, & ſtatim poſt ſigillationem detur Priori per ſocium exemplar dictarum culparum.

5. Et ſi quis habeat quidquam contra Prouincialem, vel aliquem de gremio Capituli Prouincialis, quod in veritate non debeat tolerari, dum tamen poſſit ſufficienter in illo Conuentu probari per perſonas fide dignas proponat coram ſocio ſupradicto, qui habeat veritatem inquirere diligenter coaſſiſtente ſibi Priore domus; ſi verò prædicta fuerint notabilia, & ſufficienrer probata teſtimonio fide dignorum, præfatus ſocius proceſſum continentem nomina proponentis, & teſtificantium ſupradicta ſub ſigillo communi Conuentus ad Capitulum ſimiliter deferat, & nomen illius qui prædicta propoſuit, & illum contra quem ſunt propoſita, ſi præſens fuerit, habeat eum accuſare offerens dictum proceſſum in teſti-

monium præmissorum; Et si accusatus se sufficienter excusare nequeat, tunc puniatur prout videbitur Capitulo.
6. Idem fiat suo modo in Capitulo Prouinciali, quando eundum est ad Generale Capitulum, si contra Generalem, vel Prouincialem, vel aliquem de gremio dicti Capituli Generalis aliquid notabile habeatur quod sub sigillo communi Prouinciæ offeratur per Definitorem dicti Capituli Generalis; nec volumus quòd testificantes accusato nominentur nisi euidens necessitas hoc requirat.
7. Nulla tamen culpa Capitulo Generali vel Prouinciali præsentetur, quæ præsente Priore Generali, vel Prouinciali, vel Vicario eorum potuit corrigi in Conuentu, & nisi notabilis, & sufficienter probata per personas fide dignas.
8. Vt autem socius post suam electionem habeat sufficiens tempus ad sumendum informationes de culpis porrectis à fratribus contra Prouincialem, & Priorem. Statuimus ne à Conuentu recedat sub pœna amissionis vocis & loci in futuro Capitulo, nisi post transactos tres dies completos à sua electione, non comprehenso die electionis, etiamsi fratres dicant se nihil habere contra Priorem vel Prouincialem.
9. Socius etiam Prioris, electionis suæ litteras habeat sub communi sigillo Conuentus, continentes numerum eligentium, & similiter nomina electorum, & quot ipse, & alij habuerint vota, & fiant litteræ secundum formam cap. 12. huius partis descriptam, & præfinitam.
10. Omnia autem Capitulo Prouinciali præsentanda volumus sub sigillo Conuentuum clausa præsentari, nec alicui socio accusanti credatur in aliquo, nisi in culpis scriptis, vel nisi Conuentus remiserit accusationem in

cuſationem in Capitulo Prouinciali faciendam, exceptis ijs culpis quas poſt exitum à Conuentu ſuo, ipſum Priorem contigiſſet commiſiſſe. Idem autem dicimus de culpis Prouincialium, ad Capitulum Generale iturorum.

II. Præter Priores, & ſocios eorum, vt præfertur, electos, nulli fratres exeant è Conuentibus vt ad Capitulum Prouinciale accedant, ſine expreſſa licentia Prioris Prouincialis, aut Præſidentis ſub pœna graui, illis exceptis, ſi qui eſſent, quibus de iure, aut conſuetudine cum voce, tum actiua, tum paſſiua, intereſſe licitum eſt.

CAPVT XXXV.

De electionibus in communi.

I. TAmetſi in omnium negotiorum tractatione perpetuò Dei omnipotentis, & maioris boni Ordinis, Regulares noſtri memores eſſe debeant. Præcipuè tamen in electionibus commodis omnibus proprijſque vtilitatibus abdicatis, ſolùm Dei gloriam quærere, & animarum profectui meliorique regimini debent inuigilare: Quare vt apud nos puriores ſint electiones Prouincialium, Priorum, Definitorum, ſociorum, Subpriorum, diſcretorum, & aliorum Officialium. Mandamus omnibus Prælatis aut Præſidentibus, in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, vt in Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præſcripta à Conc. Trid. & Ordinis Conſtitutionibus inuiolabiter ſeruetur, iurētque

electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquàm ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum ad officia, & Prælaturas, illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare præsertim quæ pertinent ad seruitium chori, ac victum, & vestitum communem.

2. In nulla electione intersint Nouitij, laïci, loco & voce carentes, nec infames, aut qui ab Ordine apostatauerunt, licet sit eis datus locus, donec fuerit cum eis specialiter dispensatum, nec excommunicati, nec irregulares, nec professi qui in sacris non existunt, aut si in sacris, nisi tres annos professionis habeant: nec etiam fratres fatui, deliri, vel lunatici.

3. Item nullus qui à correctione regulari appellauerit extra Ordinem, vel qui appellanti consenserit, aut qui appellationem defenderit, quousque per Generale Capitulum post tres annos fuerit cum eo misericorditer dispensatum.

4. Item nulli qui non subsint obedientiæ Ordinis, vel qui se Cappellanos Prælatorum, aut Principum fieri litteraliter faciunt, & sunt de talium Dominorum familia cum eis quotidie residentes.

5. Item, nullus frater alienæ Prouinciæ, etiam per Priorem Generalem mutatus, & assignatus, nisi in obedientia sua, de sua voce fiat expressa mentio.

6. Et simili modo quicunque frater aliquando voce priuatus, aut de inhabilitate suspectus, donec de illius habilitate constet.

7. Studentes verò in studijs suæ Prouinciæ, in quibuscunque electionibus habeăt vocem & locum, si sint in

sacris constituti in Conuentu in quo sunt assignati, & non alibi. Excipitur autem Collegium Parisiense, in quo omnes studétes Sacerdotes cuiuscunque Prouinciæ sint, aliunde propter sua demerita non priuati, habent locum & vocem tam actiuam, quàm passiuam in omni electione, iuxta formam diplommatis Gregorij XIII. Romæ millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.

8 Nullus insuper qui elegerit socium Prioris ad Capitulum Prouinciale, habeat vocem actiuam in electione Definitorum illius Capituli Prouincialis.

9 Nullus frater qui non fuerit actu per sex menses continuos in domo in qua facienda est electio, vocem actiuam habere poterit, nisi fortè contigisset graui, & vrgenti de causa aliquem ad alium Conuentum transmissum fuisse propter quam ad Conuentum proprium redire non posset, vt qui, verbi gratia conciones haberet tempore Quadragesimali, tunc enim vocem & locum habere poterit in electionibus quæ occurrent, in quibus erit, & hoc maturè declarare tenebitur Reuerendus Pater Prouincialis.

10 Item Nullus subornator qui induxerit prece, aut pretio, siue minis, aut quacunque violentia aliquem fratrem habentem vocem in electione Prioris, Subprioris, Socij, aut Vicarij, aut alterius cuiuscunque, vt tali, vel tali det vocem suam, singulatim eos nominando, sit admissus in Capitulo, sed expellatur priuatus voce & loco, vsque ad Capitulum Generale sequens.


11 Et vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim generalibus Capitulis, aut congregationibus, seu alibi, quicunque secus fecerint præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas,

in

in pœnam priuationis officiorum quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur. Super quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à ſummo Pontifice iuxta decretum Clementis VIII. Sed pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur, omneſque ſpradictas pœnas ad complices, ac ſimpliciter ſcientes,& non reuelantes extendit idem Puntifex.

12. Si Conuentus in electione Subprioris, & aliorum officialium tertia vicè concordare nequiuerit, Prior localis, aut Superior præſidens poterit prout ei placuerit de talibus officialibus prouidere.

13. In recipiendis Nouitijs, in admittendis illis ad profeſſionem, in contractibus, in pertinentibus ad negotia communitatis, & in deliberationibus quæ faciendæ occurrunt in Monaſterijs vota explicabuntur in vaſe cooperto ſiue vrna cum granis,ſeu calculis,vel diuerſi coloris, vel diuerſi generis, quorum vnum aſſignabit affirmationem,aliud negationem.Electiones verò ſub iuramento de probioribus eligendis fiunt chirographis ſcriptionis confictis, vt ſemper nomina eligentium, vel ſuam conſcientiam explicantium, ſint ſecreta, vt ſacrum Concilium in elelectionibus faciendis inuiolabiliter obſeruare præcipit.



PARS QVARTA

CONSTITVTIONVM CARMELITARVM

DE CVLPIS, ET POENIS, & de pœnitentijs.

LICET de Dei bonitate, regulariumque nostrorum feruore, & pietate speremus neminem in eas culpas lapsurum, quæ grauioribus pœnis sint puniendæ; primaque omnium, & præstantissima lex sit Dei amor, & spiritus charitatis; ad quem hactenus obseruantiæ nostræ corpus efformare studuimus; neque enim vnquam accepimus spiritum seruitutis in timore, sed accepimus spiritum dilectionis in amore, quem apud regulares nostros feruere, & vigere summoperè exoptamus. Vt tamen maiorum nostrorum vestigijs inhærétes, eamus obuiam grauioribus illis culpis,

quæ in tam varijs infirmitati humanæ casibus euenire possunt, hic de illis speciatim agendum, & de illarum remedijs, quæ melius est superesse Religioni non egenti, quàm deesse indigenti.

CAPVT PRIMVM.

De Apostatis, & vagè discurrentibus.

1. VT omnis tollatur æquiuocatio super nomen apostatæ: Declaramus quod qui sine licentia recesserunt à Conuentibus, vel Prouincia non sunt propriè apostatæ, sed profugi, dyscoli, errantes, & vagi; tamen eisdem pœnis sicut verè apostatæ sunt puniendi: apostatas autem propriè intelligimus illos, qui temerè dimisso, vel etiam retento habitu, exeunt è Conuentu cum animo recedendi à Religione, & ad illam non amplius redeundi. Pœna verò apostatarum est, vt qui sine scandalo, eadem die, vel noctè redierit, sustineat viginti dies pœnam carceris, (de qua infrà cap. 14. §. 4.) si vltra tres dies moram fecerit, præter viginti dies tanto tempore sustineat carcerem quantum constiterit ipsum extra Ordinem extitisse, quam pœnam solus Generalis potest relaxare: quod si cum scandalo apostatauerit, à carcere non potest liberari, nisi à Generali, vel à Capitulo Generali. Quare cum ijsdem subjaceant profugi, præsertim si propter enorme crimen, aut fracto carcere septa Monasterij exiuerint, & fugerint, hac cum differentia, quòd isti poterunt à Capitulo Prouinciali, vel à suis Prouincia-

libus peracta pœnitentia liberari; de vtrorumque culpis hic agimus, & primo de pro fugis,& dyſcolis.

2. Cum multi ſuorum Superiorum correctione ſubterfugere volentes, licentia non petita, vel ſi petita non obtenta, è Conuentu egredi plerumque audeant, & ad Superiorem majorem, recurrant ne iuſtus recurſus vlli denegetur diſtrictè præcipimus, vt qui Superiorem majorem adire voluerit,prius in præſentia Patrum Conſiliariorum Conuentus à Priore licentiam petat, & rationes ſeu cauſas coram ipſis exponat, quas ſi Prior, & Conſiliarij rationabiles,& pertinentes iudicauerint, illum cum ſocio,& neceſſarijs ad Superiorem majorem mittere tenebitur Superior. Quod ſi cauſas, & rationes allegatas minus pertinentes repererint,& tunc aliquis non obtenta venia exiuerit, licet ad Superiorem ſuum directè contenderit, nihilominus pœnæ apoſtatarum ſubjaceat, & inſuper ad actus legitimos, & officia Religionis ſit inhabilis, donec per Generalem,vel Prouincialem fuerit cum illo diſpenſatum.

3. Et quia ſæpiſſimè euenit, vt qui Superiores maiores conueniunt, defectus ſuos palliare, non vereantur,& excuſationes futiles in peccatis allegare, ipſoſque Superiores majores decipere: iuxta decretum Capituli Generalis Romæ celebrati anno 1609.omnes eiuſmodi apoſtatæ, ſeu fugitiui, qui Superiorum ſuorum localium, & ordinariorum correctionem ſine cauſa recuſant, ad eos remittantur puniendi, iuxta Ordinis ſtatuta, penſatis qualitate, & quantitate quærelæ, & quærelantis, & corcorrectio fugientis multiplicetur, & aggrauetur, vel ſaltem ad minus duplicetur pœna: ſuper qua aggrauatione, multiplicatione, aut ſaltem duplicatione non poſſit diſpenſari ſine licentia Prioris Generalis, auctoritati ordinarium nequid detrahatur, majorue rebellionis occaſio non introducatur.

4. In casu autem quo eiusmodi apostatas, siue fugitiuos remittere ad suos Superiores Ordinarios æquum non iudicauerint Superiores majores; Ordinamus vt neque Reuerendissimus Pater Generalis, neque Prouincialis, seu eorum Vicarij, nec quilibet alius damnet, aut absol- ad se confugientes, nisi prius audito Superiore à quo recesserint: alioqui condemnatio, seu gratia ipsi facta inaudita parte, nulla, & irrita censeatur.

5. Item quicunque (etiamsi hospes) de die, aut de nocte exiuerit septa Monasterij sine sui Superioris licentia, etiam si eodem die, vel eadem nocte reuersus fuerit, similiterque de loco, & tempore assignatis extra Conuentum suum vagatus fuerit solus, vel cum socio censeatur tanquam apostata, & vt talis puniatur: quòd si contra præceptum specialiter directum sui Superioris contumaciter, etiam cum habitu, & socio, & sine scandalo die, vel nocte extra Conuentum, aut septa loci exiuerit, licet redierit eadem die, vel nocte tanquam apostata pariter censeatur, & ad actus legitimos vt putà ad electionem aliquam actiuè, vel passiuè, seu ad curam animarum aliquo modò non admittatur.

6. Et quia interdum Prælati quidam vagis fratribus vagas, & indeterminatas concedunt licentias, sub quarum vmbra se iungunt quæstoribus, & verbum Dei adulterantes non animarum salutem quærunt, sed quæstum. Ordinamus, quòd si quis talium, alicuius Prioris localis licentia, terminos sui Conuentus exiuerit vel cum licentia Prouincialis metas alterius Prouinciæ intrauerit vt apostata reputetur, & eo modo, loco, & voce careat, capieturque, & carceri mancipetur, ac omnia bona cum eo reperta communitati Conuentus, aut Prouincæ, in qua capietur, applicentur cuiuscunque conditionis existat, eiusque captio, & casus Patri Generali significetur à quo solo valebit liberari.

Nolentes quòd fratres nostri pro huiusmodi causa discurrant, nisi esset pro cruciata, & ex mandato Papæ.

7. Item, qui ptopter enorme crimen, aut fracto carcere, licet scandalum non commiserit,septa Monasterij exiuerit, & fugerit; etiamsi eadem nocte, vel die, vel infra redierit pœnam carceris per viginti dies sustinebit: si autem vltra tres dies moram fecerit, non poterit ab eodem, nisi à Capitulo Prouinciali, vel à suo Prouinciali liberari, peracta tamen supradicta pœnitentia: quòd si cum scandalo fugerit, vel existens profugus Ordinem scandalizauerit postquam etiam per se ad Ordinem redierit, aut per alios captus fuerit, non valeat per alium, quam per Priorem Generalem, aut Capitulum Generale liberari.

8. Veri apostatæ sunt ipso facto voce, & loco priuati, & si habitum dimiserint à iure sunt ipso facto excommunicati: Et per quemcunque Prælatum, aut Superiorem Ordinis suæ, vel alterius Prouinciæ, vbi reperti fuerint, carceri mancipentur, vbi affligantur secundum sua demerita, tam ratione apostasiæ quam ratione aliorum defectuum, & casus illorum cum debita informatione per talem Superiorem Priori Generali intimetur citius quam fieri porit: qui de loco, & pœnitentia, vel expeditione ipsorum, iuxta talium apostatarum demerita, absque dilatione habeat ordinare, nec Priores Prouinciales, aut quicunque alij Præsidentes, apostatas Ordinis capientes, à dicto carcere valeant liberare, sine licentia Prioris Generalis, sub pœna vsurpantium oficium ipsius; quia nolumus Prouinciales posse ad misericordiam Ordinis recipere verum apostatam: si verò in captione talium

negligentes fuerint, vel in expeditione ipſorum, officium Superiorum vſurpauerint, pœnæ grauioris culpæ per viginti dies volumus ſubjacere, & liberatum per eoſdem in carceres iterum retrudi, vt modo debito puniendus liberetur.

9. Item ordinamus, quòd quicunque à noſtro Ordine verè apoſtatauerit, vel apoſtatauit, ad Prioratus officiũ, vel Diffinitoris Capituli, vel Prouincialis eligi non valeat, vel aſſumi, niſi cum ipſo per Generale Capitulum, vel per Priorem Generalem, aut per eum, cui vices ſuas in hoc caſu commiſerit, fuerit cum teſtimonio laudabilis conuerſationis ſuæ miſericorditer diſpenſatum. Declarantes, quòd ſi talibus ſit locus, & vox reſtituta, indigent tamen diſpenſatione etiam in ſcriptis ad prædicta omnia, & ad promotionem alicuius ſtudij, & ſcientiæ, & ad omnia officia per electionem inſtituenda. Et quicunque in apoſtaſia per annum fuerit, vel etiam qui non fuerit niſi per tres dies, ſi bis apoſtatauerit, aut cum perpetratione criminis enormis, vel ſcandali manifeſti, ad ſtudium aliquod nullomodo admittatur, nec poterit vox, & locus reſtitui, niſi per Capitulum Generale, aut Priorem Generalem. Et licet reſtituatur locus ei qui in apoſtaſia fuerit: tempus tamen quo in ipſa apoſtaſia ſtetit quoad locum inter fratres habendum nullatenus computetur, prout iuſtum eſt, & rationabile.

10. Item ſtatuimus, & mandamus omnibus Prioribus Prouincialibus, localibus, & Vicarijs Conuentuum, vt omnes tam vagantes cum noſtræ Religionis habitu, quã verè apoſtatas, non potentes legitimè monſtrare ſui ſtatus tranſlationem capiant, & eos capi procurent, per iuſtitiam Eccleſiaſticam, vel temporalem, & in carceres eos includant: à quo liberari non valeant, niſi à Priore Generali.

CAPVT II.

De inobedientibus, contumacibus seu rebellibus, & vsurpantibus officia majorum, & Prælatos, vel Principes contra Superiores excitantibus.

1. STatuimus, & præcipimus, vt omnes fratres suis Superioribus semper, & vbique reuerentiam exhibeant, & eis in quibuscunque licitis, & honestis humiliter obediant. Quare qui eorum mandato speciali sibi facto singulariter, vel sibi, & alijs pluraliter ex proposito noluerit parere, vel prætextu leuis, & friuolæ excusationis non obtemperauerit, ipso facto sit priuatus loco, & voce donec Superiori, cui extiterit inobediens se humiliauerit, ab eoque ad vocem & locum fuerit restitutus. Quòd si suam inobedientiam malitiosè, & pertinaciter defenderit, & cum Superiore intus, vel foris proteruè fuerit ausus contendere, ipsum nedum inobedientem, ac proinde priuatum, voce, & loco, sed etiam contumacem & rebellem, & ob id carceri mancipandum per mensem ad minus, & plus etiam ad arbitrium Superioris, contra quē fuerit rebellis iudicamus, & decernimus.

2. Item statuimus quòd omnes, qui contra suos Supe-

riores se erexerint eorum officium vsurpando, vel quouis modo impediendo per se, vel per alios, ne suum officium effectiuè exercere valeant loco, & voce careant, & in carceres detrudantur in eis permansuri ad arbitrium Reuerendissimi Patris; & si eò dementiæ, & temeritatis deuenerint aliqui ex nostris Religiosis, vt Ecclesiæ Prælatos, aut Principes, & Rectores excitare non formidauerint, quò per illos Ordinis Superiores molestentur, grauentur, aut damnificentur in personis, vel à suis officijs amoueantur; quiuè huiusmodi se erigentibus consilium, aut auxilium, seu fauorem præbuerint, præter excommunicationis majoris sententiam, quam ipso facto incurrent, si talia contra Priorem suum siue localem, siue Prouincialem, aut contra eius Vicarium perpetrare præsumpserint in perpetuum loco, & voce priuati existant; si verò contra Priorem Generalem, vel eius Vicarium huiusmodi illicita fecerint, vltra perpetuam amissionem vocis, & loci, expoliandi sunt omni officio, & dignitate Religionis, & carceribus mancipandi vsque ad Capitulum Generale, nisi post tres annos per ipsummet Priorem Generalem fuerit cum illis misericorditer dispensatum.

7. Præcipimus omnibus fratribus per obedientiam salutatem, quòd Prælatis sint in adiutorium contra inobedientes, contumaces, & rebelles ad eos capiendum, & incarcerandum, & teneantur Religiosi, ex Superioris mandato eiusmodi contumaces, & rebelles coërcere, quòd si non fecerint voce, & loco sint eo ipso priuati.

8. Et nullus cuiuscunque gradus sit, aut conditionis impediat correctionem alicuius, vel alleget contra Priorem quòd ex odio, vel fauore procedat criminosos liberando, innocentes condemnando, quominus ad correctionem procedatur, sub tali pœna, quam reus su-

bire debuerit, eò ipſo infligenda.

9. Item quicunque Prælatis quouis quæſito colore impedimentum tribuunt, aut procurant quominus reformare loca noſtra valeant incurrunt ſententiam excommunicationis authoritate Pij Papæ II. à quo donec reſipiſcant non valeant abſolui, niſi per Summum Pontificem.

CAPVT III.

De appellationibus, & eis adhærentibus.

1. CVm Religioſæ vocationis finis ſit, non contentiosè viuere, ſed propriæ voluntati renunciare, omnes ſuorum Superiorum ordinationi,& pœnæ ſibi impoſitæ ſtatim ſubiaceant, ita vt nulli liceat è noſtris Regularibus appellare à Superiorum ſuorum correctione ad maiores, in caſibus, & culpis manifeſtis contra Regulam, & Ordinis ſtatuta perpetratis, niſi correctionis modus latus in ſtatutis grauiter excedatur, de quo habebunt iudicare Patres conſiliarij cum Priore, & qui pœnæ ſibi à Superiore impoſitæ ſubiacere noluerit, vt contumax, & rebellis pœna carceris ſtatim puniatur.

2. Auctoritate Xiſti IV. appellationes à correctione regulari ad alia tribunalia, etiam Eccleſiaſtica

extra Ordinem nostrum,regularibus nostris vtriusque sexus inhibemus, & quicunque ad tribunalia etiam Ecclesiastica extra ordinem appellauerit, vel recursum habuerit, hoc ipso ab omnibus legitimis Ordinis actibus sit eo facto exclusus, & carceri mancipetur, & nonobstante appellatione, processus contra eum instituatur, & puniatur rigidè,donec post tres annos cum eo misericorditer fuerit dispensatum,nisi infra tres,aut quatuor dies, à sua appellatione desistat.

3. Quicunque ex nostris regularibus cuiusuis dignitatis, status, sexus, & conditionis extiterit ad tribunalia sæcularia quouis prætextu,aut quæsito colore appellare,vel ad ea confugere, aut quouis modo adire ausi fuerint, vel præsumpserint authoritate Clementis VIII. incident in sententiam excommunicationis Romano Pontifici,præterquam in mortis articulo reseruatam, necnon in priuationem perpetuam officiorum per eos obtentorum,& inhabilationem ad illa,idque absque vlla alia declaratione.

4. Qui appellantibus ad tribunalia extra Ordinem adhærent,vel appellationes directè,vel indirectè defendunt cuiuscunque status,sexus,aut conditionis sint,easdem omnino pœnas eiusmodi fautores, & consultores incurrent, quas ipsi appellantes.

5, Mandamus, & districtè præcipimus Prioribus Prouincialibus, & localibus per salutarem obedientiam, & sub pœna depositionis ab officio, quòd hanc Constitutionem de appellationibus, & appellationi adhærentibus obseruare faciant.

6. Item curent nomina appellantium, & eis adhærentium in communibus papyris Prouinciæ cum criminosis describi, & publicari,& in posterum infames habeantur.

7. Si qui nihilominus à suis Superioribus localibus grauari prætenderint in rebus notabilibus, & quæ notam

ſeu infamiam incurrerent ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad protectorem, à protectore ad ſanctam Congregationem, vel etiam ad Romanum Pontificem ſupremum in Eccleſia Dei iudicem, ſicuti de iure fieri debet, vt vſus antiquus obtinuit, & non ad vllos alios recurſum habere poterunt.

8. Quicunque frater pro quocunque facto proprio, vel alieno, ſiuè pro defenſione cuiuſcunque culpæ propriæ, vel alienæ requiſierit conſilia aduocatorum, ſeu quarumcunque perſonarum extranearum ſine licentia Prælati ſui, pœna grauiſſima puniatur.

9. Poterunt tamen Superiores Ordinis de culpis fratrum & ſcandalis informari, & certificari per perſonas fide dignas, & conſilium ab eiſdem in agendis petere.

CAPVT IV.

De conſpiratoribus, & colligationem facientibus.

1. IN virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus vt nulli fratres fraudulentam faciant colligationem, confœderationem, & conjurationem in perniciem, & damnum alicuius Religioſi ſub pœna priuationis vocis, & loci, necnon grauioris culpæ per viginti dies, & etiam ſuſpenſionis à diuinis ſiquid illicitum contra ſuum Superiorem moliti fuerint.

2. Si huiuſmodi conſpiratio ad talem effectum deue-

nerit, vt Religiosus contra quem fuerit facta, damnum notabile sit passus; conspiratores carceri mancipabuntur per tres menses, per integrum autem annum, si damnificatus fuerit aliquis Ordinis Superior, vel Conuentus: & si adeò temerarij fuerint vt dicto, vel facto diuisionem Ordinis procurauerint, vel mutationem Patris Ordinis, vel aliquod Monasterium ab eius obedientia eximere, sint ipso facto excommunicati, & tanquam schismatici, & destructores Ordinis perpetuo carceri mancipabuntur, donec fuerit cum eis dispensatum per Capitulum Generale, quibus pœnis excommunicationis, & perpetui carceris subiacebit, etiam qui solus talia machinatus fuerit.

3. Item qui iuramento, aut fide præstita colligationem, confœderationemque fecerint iniquam, quæ notam mali, & conspirationis sapiat, quòd sibi mutuo non deficient in suis defensionibus, sustentationibus, vel huiusmodi, quive per alterum acclamauerint, culpam accusati in Capitulo iniustè aggrauando, vel diminuendo, seu aliter ibidem fratres monuerint, & hortati fuerint vt culpam testificentur, vel timorem fratribus incusserint, ne per eos culpa commissa probetur ipso facto ab omnibus conspiratores reputentur, & per Præsidentem pœna conspiratoribus infligenda puniantur, priuationis scilicet vocis, & loci, & grauioris pœnæ per viginti dies, & etiam carceris ad tres menses, secuto damno.

4. Item si quis conuictus fuerit quod de Prælatis nostri Ordinis dixerit comminando sic, nisi ille, vel illi absoluantur ab officijs, vel nisi ille, vel illi ad officium, uel officia eligantur, vel pax non erit in Ordine, aut Prouincia, vel Conuentu, aut multi apostatabunt, vel morientur: aut hæc uel illa euenient, si hæc, & similia verba comminando publicauerit, & seminauerit: volumus quòd talis sine contradictione quacunque conspirantium contra suum Superiorem pœna puniatur.

CAPVT V.

De recurrentibus ad sæculares pro sua promotione, aut defectuum purgatione.

1. SI qui pro obtinendis Prælaturis, dignitatibus, functionibus, & alijs officijs Ordinis directè, vel indirectè recurrerint ad fauorem Prælatorum, Principum vel aliarum quarumcunque personarum extra ordinem, vel etiam sponte oblato, & minimè conquisito vsi fuerint, illorumque complices auctoritate Clementis VIII. inhabilitationem perpetuam ad quascunque Ordinis Prælaturas, gradus, honores, &c. incurrent, obtentisque, ac etiam vtraque voce eò ipso priuati erunt, nulla alia præcedente monitione, nulloue desuper habito processu, & ad probandum omninoque conuincendum illos in dictas pœnas incidisse, solæ ipsarum personarum instantiæ, & præces ore tenus porrectæ plenam, indubiam, & sufficientem faciant fidem intra, vel extra iudicium absque aliarum probationum adminiculo.

2. Item statuimus, quòd si quis pro quauis alia gratia, vt pro promotione, aut continuatione studij, pro mora in aliquo Cóuẽtu pro defẽsione, & impunitate culpæ; & similib⁹ cõtra voluntatẽ Superioris sui preces, aut litteras Prælatorũ, aut Principũ, quorũcunq; extra Ordinẽ obtinuerit,

& propter huiusmodi preces, aut litteras contingat quemcunque maiorem, vel Prælatum nostri Ordinis, ordinem ve ipsum damnum, aut indignationem, seu offensam incurrere illorum dominorum, aut concedere vltra beneplacitum suum gratiam tali fratri, quamuis ipse per se, vel per alium huius modi litteras, vel preces minimè procurauerit, statuimus quod si gratia sibi taliter concessa vtatur, vel nisi preces, aut litteras sic concessas sine indignatione Prælatorum, aut Principum huius modi fecerit reuocari, eo facto voce, & loco careat.

3 Præterea siquis pro se, vel pro quocunque alio extra ordinem, pro moderatione, vel excusatione pœnæ ad sæculares recurrerit, aut intercedere procurauerit voce, & loco priuetur ad Prouincialem mittendus, & ab eo districtè puniendus.

CAPVT VI.

De dantibus operam studijs, artibus & ludis prohibitis.

1 OMni diligentia in primis elaborandum est, vt Carmelitæ nostri, non solùm ab omni hæresi, sed à quacunque illius suspicione procul absint caueant, & abhorreant. Quare mandamus omnibus Prioribus, Prouincialibus, & localibus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna depositionis ab eorum officijs, & criminis fautorum, vt improuisò tam in suis ordinarijs visitationibus

tionibus, quam extra illas, & quoties sibi expedire visum fuerit visitent cameras, & libros fratrum euoluant: & si (quòd absit) libros in iudice Romano prohibitos cópererint statim fratrem illum qui eo vtebatur libro, vel libris, in carcerem detrudant, & in eum pro grauitate culpæ animaduertant, & caueant Reuerendi Prouinciales, & visitatores nostri, ne tempore suæ visitationis prædictam inquisitionem diligentem, sub prædicta pœna prætermittant: Quod si forsan casus ad sanctæ inquisitionis Tribunal spectauerit, moneant Reuerendissimos D. inquisitores: vbi nullum sanctæ inquisitionis adest tribunal ad Superiores Ordinis ius deuoluitur.

2. Statuimus præterea vt si quis ex nostris aliquem suspectum habuerit de fide, vel quid male loquutus sit de Ecclesia Catholica, & potestate Summi Pontificis, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus abusus fuerit, illum secundum iustissimas sacrorum Canonum sanctiones statim denunciet Reuerendissimis Dominis inquisitoribus, vnde Religiosus negligens in ea denunciatione repertus, præter iustas pœnas ab inquisitoribus infligendas voce careat actiua, & passiua, & loco per triennium, si illa habuerit, sin autem carceribus detineatur ad arbitrium Patris Generalis.

3. Insuper nullus aliàs hæreticus, vel qui timerè, & cum scandalo hæresim diuulgauerit etiam post publicam, vel priuatam suæ hæresis detestationem, abiurationem, vel retractionem, siue post peractam, vel condonatam etiam in totum pœnitentiam ad honores, dignitates, seu officia Ordinis incipiendo à Subprioratu tanquam inferiore, exclusiuè, in perpetuum restitui, vel præmoueri valeat; & qui aliquem ex prædictis scienter ad prædicta officia, vel dignitates eligere, aut instituere auderent non solum electio, aut institutio irrita est, & nulla, sed ipsi eligentes, & instituentes pœnæ grauiori per men-

ſem ſubiaceant, ac psoprijs dignitate, officiouè priuentur.

4. Diuinatores verò, ſacrilegi, incantatores Necromantici, & quicunque alij de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſuè caſibus, & ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent prædicentes præter alias pœnas, à iure, & ſummis Pontificibus conſtitutas carceri ſimiliter mancipentur, & Reuerendiſſimis Dominis inquiſitoribus denuncientur, ac illis chartulæ, libri, & inſtrumenta ad prædictas artes ſpectantia, præſententur.

5. Alchimiſtæ pœna proprietariorum acriter pnniendi, etiam carceribus mancipentur ſecundum qualitatem, & quantitatem delicti.

6. Ludentes chartis luſorijs, taxillis, vel aliorum ludorum genere, etiam conceſſorum pro pecunia, libris, veſtibus, aut quacenque alia re prætio æſtimabili, ſiue cum fratre, ſiue cum extraneo ludus habeatur, aut familiari Ordinis, per Superiorem ſuum ſtatim priuentur voce, & loco, carcerique etiam mancipentur, penſata qualitate, & quantitate, oſſenſæ, & iiſdem pœnis volumus ſubiacere Superiores, qui ſcientes permiſerint ſuis ſubditis ludos contra præſentem prohibitionem.

7. Hiſtriones, laruaticos, & conſimiles pro comediis turpibus, ac ſæcularibus habendis inter impudicos connumeramus, & pœna plectendos declaramus qua puniuntur ſuſpecti de illicitis, quæ habetur in ſequenti capite de lapſis in peccatum carnis: Sed ſi quis extra clauſtra talia exercere auſus fuerit eadem puniatur pœna, & inſuper locum, & vocem amittat ad arbitrium Prouincialis.

8. Item directè inhibemus noſtris fratribus cuiuſuis ſtatus, gradus, dignitatis, & conditionis extiterint, ne intereſſe præſumant comediis, tragœdiis; agitationibus taurorum, & aliis ſimilibus publicis ſpectaculis, pro-

phanis sub pœna carceris ad mensem, quam pœnam Prælati etiam incurrent, si in suis subditis huic decreto inobedientibus puniendis negligentes fuerint; & si qui dixerint non esse scandalum Religiosos hisce spectaculis adesse, minimè illis credendum est.

CAPVT VII.

De peccantibus contra castitatem.

1. STatuimus, quòd si quis in peccatum externum contra castitatem lapsus fuerit, & confessus, vel conuictus, aut violenter suspectus, de qua suspicione statim dicetur: per dimidium annum carceri mancipetur, & secundum qualitatem, & quantitatem delicti puniatur; quòd si notorium fuerit extraneis per annum integrum incarceretur, ac locum, & vocem amittat quinque annis, nisi propter laudabilem eius conuersationem per Patrem Generalem, vel per Capitulum Prouinciale, fuerit cum eo dispensatum. Dicimus fratrem conuictum vel suspectum violenter de peccato carnis, si (quod Deus summa sua bonitate non permittat, imò pijssima sua misericordia ab ipsa cogitatione auertat) solus cum sola muliere in cella clauso ostio de die, aut de nocte repertus fuerit, vel auditus.

2. Item quicunque frater mulierem osculatus fuerit, vel circa ipsam tactus, vel actus impudicos exercuerit, pro qualibet vicè pœna grauioris culpæ

rigidè per viginti dies puniatur; & si talia, aut consimilia facere duxerit in consuetudinem, pœnam lapsorum in peccatum contra castitatem subeat. Item frater quicunque domos, aut loca lenonum, aut diffamatarum mulierũ intrauerit, aut cum eis colloquium, vel conuersationem habuerit ipsum suspectum de peccato carnis, si notorium fuerit, iudicamus, & purgandum purgatione Canonica ordinamus; & dato quod purgetur, propter tamen huiusmodi ingressum, colloquium, notiam, & familiaritatem frequentatam, quia scandalum alijs generat, & inducit pœnam grauioris culpæ sustinebit 40. dies.

3. Et si quis in domo inhonestarum mulierum à Curiæ ministris captus fuerit, vel capiendus aufugerit, & delicto perpetrato, vel tentato constiterit, indeque secutum fuerit scandalum ad triremes ad quinquennium, vel ad ergastalum condemnetur; si autem nullum obortum fuerit scandalum carceri tradatur per sex menses, & per decennium sit priuatus loco, & voce.

4. Si quis autem in peccatum indicibile, quod absit, lapsus fuerit, conuictus, vel confessus, aut violenter suspectus, quàm violentam esse suspicionem dicimus si per duos pueros, vel plures hoc publicè confiteatur, vel si quis puerum in cella vel alio loco clauso ostio ex omni parte de nocte, vel de die habuerit: talis sic violenter suspectus introducatur in carcerem ibi tempore perpetuo miserabiliter affligendus, nisi forte cum eo fuerit aliquando per Capitulum generale, vel Priorem Generalem dispensatum.

5. Imo attenta extrauagante Pij V. huiusmodi nefario scelere fœdatus omni priuilegio Clericali priuatus, & degradatus per indicem Ecclesiasticum potestati sæculari tradendus est.

CAPVT VIII.

De diffamantibus, & conuitiosis.

1. CAueant ante omnia fratres cuiuscunque gradus gradus, aut officij existant ne Prælatis Ecclesiæ detrahant. Si quis conuictus fuerit, quod de Domino nostro Papa, quod absit, detractoriè locutus fuerit, aut verbum diffamatorium dixerit induatur caputio linguarum, de quo infra, & carceri perpetuo mancipetur, nisi per Capitulum, vel Priorem Generalem fuerit cum eo misericorditer dispensatum, & idem volumus si de Dominis Cardinalibus, Regibus, Reginis, & Priore Generali in omnibus obseruari, & ita si de cæteris Prælatis, Principibus, & Superioribus Ordinis pensata qualitate excessus.

2. Et si aliquis aduersus Priorem suum, aut eo Superiorem non malitiosè, sed in veritate habuerit quicquam, quòd omnino non debeat tolerari, primò inter se, & ipsum solum eum humiliter admoneat, quam admonitionem, si neglexerit, aut contempserit, aliquem ex senioribus, & discretioribus fratribus ad eum monendum, & corrigendum adducat, vel adhoc per se ipsos faciendum inducat, & si adhuc non se correxerit, Superiori Prælato scribat, aut si ad visitandum venerit, tunc ei veritatem insinuet, & declaret, vt sic per illum corrigatur, vel in Capitulo Generali, aut Prouinciali finaliter

corrigendus demandetur, quod & fieri poterit, etiam dicta monitione non præmissa, dum tamen illud fuerit diffamatum, & sufficienter probari possit, & monstrari, nec alio modo præsumant de suis Prælatis obloqui sub carceris pœna, pensata iniuriæ qualitate, & quantitàte, & ponderato gradu Prælationis

3 Quoniam plerumque, etiam inter Religiosos vsque adeo creuit loquendi licentia, vt quæ intra claustra decenter silentii religione contineri, ad aures sæcularium leuiter illicò publicetur, districtè prohibem⁹ quod vbi aliquis pro culpis quomodocunque mulctatus fuisset nemo audeat quicquam sub quocunque prætextu diuulgare, ac declarare sæcularibus, vel regularibus externis sub pœna grauiori per tres dies infligenda, vltro quòd incurrit sententiam excommunicationis.

4 Item nemo verba conuitiosa, aut turpitudinem continentia propriam, aut parentum, vel affinium, seu consanguineorum, siue naturalem, seu aliunde prodeuntem proferat contra quemcunque Religiosum sub pœna carceris ad mensem, & in fine vnius disciplinæ cum psalmo miserere mei &c. facta debita famæ, & honoris restitutione, humiliterque petita venia tam ab offenso, quàm à Patribus; si verò contra sæculatem secuto scandalo, pœna duplicabitur, & hoc si prolata verba fuerunt vera; si verò falsa præter dictam pœnam induatur caputjo linguarũ per tres vices in refectorio.

5 Item nemo obmurmuret, aut obijcere audeat alicuj in dedecus crimina præterita de quibus fuit conuictus, confessus, atque etiam regulariter correctus sub pœna carceris ad octo dies, & vnius disciplinæ cum psalmo miserere, quod etiam de Prioribus intelligendum volumus, nisi id faciant causa correctionis, & media charitate.

6 Nullus etiam audeat scribere fratribus intra Ordinem, vel sæcularibus, aut etiam alijs Ecclesiasticis

personis extra Religionem nostram litteras quæ vertantur in infamiam, & opprobrium cuiusuis de nostro ordine sub pœna carceris ad quindecim dies, excipiuntur tamen fratres charitatiuè de alicuius fratris ordinis excessibus Superiores ad quos spectat suorum inferiorum defectus corrigere, & cognoscere admonentes.

7. Sed ne Innocentes opprimendi, vel accusandi detur occasio, qui aliquem fratrem cuilibet Superiori Ordinis detulerit accusando, & non probauerit saltem semiplenè, atque ideo de calumnia constiterit, pœna Talionis plectetur.

8. Item ordinamus, quòd qui fratris sui delicta occultauerit, nec in visitatione coram Superiore detulerit, vel infra mensem eundem non admonuerit, mox vero illi fratri dicta delicta obiecerit, vel de illis apud ipsummet Superiorem accusauerit, interimque conuincatur illa delicta dissimulasse, & subticuisse, cum reuera ad eius notitiam prius deuenerint, vti calumniator puniatur, Superior tamen contra eum ex officio suo seruatis seruandis procedat.

9. Item statuimus quòd si quis in grauibus infamationibus, vel purgatione sui, aut alterius siuè alijs quibuscunque notabilibus causis, falsum testimonium contra aliquem, vel aliquos dixisse conuincatur, suam faciat pœnitentiam in terra comedendo coram toto conuentu in pluribus conuentibus suæ Prouinciæ, ad hoc missus per tot dies quot Superiori videbitur expedire, sedendo super terram, indutus aliquo scapulari super quo duodecim linguæ, aut circiter ante, vel retro de panno rubeo, vel albo consutæ sint; hinc inde modo vario, in signum quod propter magnum suæ linguæ vitium illo modo meritò sit puniendus, & postea carceri mancipetur, nec amplius ad aliquod testimonium admittatur.

CAPVT IX.

De diuisionibus, & partialitatibus cauendis, & de purgationibus diffamatorum.

1. QVicunque de diuiſione, aut partialitate in Conuentibus, Prouincijs, aut toto Ordine conuicti, ſeu aliter probabiliter erunt ſuſpecti, niſi poſſint ſe legitime purgare, tam ipſi quam eorum defenſores, aut præbentes eis auxilium, aut fauorem carceri mancipentur.

2. Item ſtatuimus, quod ſi quis apud bonas, & notabiles perſonas de crimine aliquo fuerit diffamatus, & etiam ſi quis de aliquo crimine ſuſpicione probabili ſit ſuſpectus, & per teſtimonium certum, vel per propriam confeſſionem conuinci non poſſit, indicetur illi purgatio Canonica, vt tandem conuincatur, ſi in purgatione defecerit, vel recuperet bonam famam.

3. Declarantes quòd de probabili ſuſpicione purgatio Canonica indicatur, de violenta autem ſuſpicione vnuſquiſque puniri poſſit, ac ſi confeſſus fuerit, vel conuictus, an verò ſuſpicio ſit probabilis, aut violenta Præſidens in Capitulo cum quatuor, vel quinque fratribus Conuentus cum conſilio alicuius iuriſconſulti habeant iudicare, & generaliter vbicunque Conſtitutiones no-

ſtræ eſſent diminutæ, vel defectuoſæ omnia fiant ſecundum iuſtitiam,& conſcientiam bonam.

4. Purgatio Canonica ſic erit in Capitulo facienda, & etiam indicenda, cum frater ſuſpectus probabiliter de aliquo crimine, ne in crimine aut ſuſpicione remaneat infamatus ad præceptum ſui maioris cum tribus, aut quinque, vel ſex bonis fratribus,aut pluribus, aut paucioribus ſicut placuerit Præſidenti (ſi tamen purgandus plures allegare voluerit admittantur) qui quidem fratres purgatores ſint bonæ famæ, & à longo tempore eius conuerſationem nouerint, ſecum etiam conuerſantes, & eoſdem ſacros Ordines ſicut purgandus habentes, & quod fuerint de dicta ſuſpicione, & ſuſpicionis cauſa informati plenariè per inſpectionem ſumptæ informationis. Primò in illorum præſentia coram præſidente, & cæteris fratribus ſupra ſanctum Dei Euangelium ſolemniter iuret, quòd ipſe nunquam perpetrauit illud crimen, vel illas criminoſas res, aut ſceleratas de quo vel quibus eſt infamatus, quo iuramento ab eo ſic facto ſtatim illi Purgatores ibidem etiam coram Præſidente, & fratribus ſtantes ſingulatim iurabunt, quod ipſi credunt ipſum vera iuraſſe, & dixiſſe, & ſic ſe reddat dictus ſuſpectus, & infamatus à crimine expurgatum,qui ſi ſic fuerit debitè purgatus debet continuò per Præſidentem bonæ ſuæ famæ, & innocentiæ reſtitui: Si verò ſe purgare nequiuerit, tanquam reus, & conuictus ſecundùm criminis grauitem puniatur.

5. Et notandum quod purgatio Canonica indicitur, quando aliqui apud bonos, & graues perſonas ſiue per ſuos inimicos, ſiue per alios infamantur, non autem indicitur huiuſmodi purgatio, quando quis apud viles perſonas quacunque præſumptione fuerit infamatus, & ſi frater infamatus non poteſt conuinci tenetur ſe per iuramentum purgare, & ad purgationem cogendus eſt, ita

vt in voluntate ſua non conſiſtat, ſed in arbitrio Præſidentis, quid autem faciendum ſit ei, vel Purgatoribus, quando ſit purgatio Canonica, ſi periuraſſe conuincatur puniatur pœna de qua dictum eſt in fine Capitis præcedentis.

CAPVT X.

De minantibus, percutientibus, & arma tenentibus.

1. SI quis minatur animo irato ad percutiendum, etiã ſi nõ percuſſerit, pœnæ grauioris culpæ tribus diebus ſubiaceat, ſi verò lapidem, vel baculum, aut quæcunque arma, ſeu munimenta leuauerit, ad percutiendum, licet non percuſſerit, prædicta pœna ei duplicetur: Si autem contra Priorem prædicta arma leuauerit, per quadraginta dies eandem pœnam ſuſtineat; ſi autem contra Priorem Generalem, aut Prouincialem arma ad percutiendum leuauerit, carceri mancipetur ad arbitrium Patris Generalis.

2. Si quis animo irato, & diabolo ſuadente quemlibet alium fratrem leuiter percuſſerit, pœnam grauioris culpæ luet per 20, dies, quòd ſi ſuum Priorem localem offenderit carceri mancipabitur ad ſex menſes, & ad annum, ſi ſuũ Prouincialem: & ſi quod abſit, Reuerendiſſimum Patrem vſque ad Capitulum Generale; & inſuper locum, atque vocem perpetuò amittet. Qui verò aliquem fratrem enormiter læſerit carceri per annum tradetur, & per duos annos ſi ſuum Priorem localem, & ſi Prouincialem vſque ad Capitulum Generale; ita vt nec à Priore Gene-

rali poſſit niſi poſt tres annos liberari. Quod ſi auſus fuerit ipſum Generalem, quod Deus auertat, grauiter percutere, tradetur carceri perpetuò abſque vlla ſpe diſpenſationis.

3. Item quia omnes qui ſuadente diabolo manus violentes inijciunt in aliquem fratrem, etiam Nouitium incidunt ipſo facto in excommunicationem canonis: ſtatuimus, quoad forum fori, vt qui quouis modo aliquem ſuum Superiorem percuſſerit, à ſolo Priore Generali poſſit abſolui, & ſimiliter, qui grauiter quemcumque alium fratrem offenderit, quod ſi læſio fuerit leuis, abſolui poterit à ſuo Prouinciali; quoad forum autem interius vnuſquiſque Prælatus vtetur iure ſuo.

4. Vt autem ſciatur quæ leuis iniectio, vel iniuria leuis ſit, quæ grauis, & enormis, ſeu atrox, earumdemque differentia, vt errare non valeant qui de manuum iniectione abſoluendi aliquem habent poteſtatem, declarationem per extrauagantem quandam, quam refert Doctor Nauarus in manuali capite 27. Numero 91. hoc loco libuit recenſere. Perlectis, &c. Reſpondemus percuſſionem leuem, eſſe pugni, palmæ manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis quæ nullam maculam, neque ſigillationem carnium relinquit; neque abſcindit membrum, ſine effractione dentium, ſine auulſione multorum capillorum, ſine effſione multi Sanguinis. Nolumus tamen dicere, quòd huiuſmodi leuis percuſſio vt pugni; aut vnguis fiat atrox ob multi Sanguinis effuſionem. Ad iudicandum tamen quæ læſio ſit leuis, mediocris; aut enormis, volumus diligenter perpendi non ſolùm factum, ſed etiam qualitatem eius, & modum percutiendi, & lædendi cum omnibus circumſtantijs loci, perſonæ, & alijs, perſonæ, ſi eſt, Iudex, Prælatus, Pater, Patronus, aut dignitas, percuſſus iniuſtè à ſuo ſubdito, aut ab alio viliori, quia ex hoc interdum cenſentur graues iniuriæ

quæ ex se sunt leues, & mediocres, & quia conditio negotij non patitur integram determinationem huius rei, relinquimus tuo arbitrio vt declares quæ sit leuis, & quæ enormis iniuria, admonentes, vt potius declares in dubio esse percussionem grauem, & ab ea non posse absoluere, quam declarando leuem esse occasionem præbeas lædendi statum Ecclesiasticum; huc vsque sunt verba extrauagantis.

5. Nullus etiam famulum fratrum percutiat, vel quemcunque sæcularem, etiam laïcum sub pœna grauioris culpæ, vel etiam carceris, secundum qualitatem, & quantitatem delicti grauiter infligenda: si autem frater Clericum sæcularem percusserit absoluatur à Diocæsano ipsius clerici percussi à sententia excommunicationis, quam incurrit, & si percusserit quemquam alterius Religionis, absoluendus est à Prælato suo proprio, & eius quem percussit, & pœna taxata de percussione fratrum nostrorum aggrauetur. Si percusserit quemcunque extraneum, etiam satisfactione facta tam læso, quàm suo Prælato carceri Ordinis mancipetur si iniuria hoc requisierit; Volumus etiam quod secundum qualitatem, & quantitatem excessuum tam istæ pœnæ, quam aliæ taxatæ in Constitutionibus aggrauentur pensatis gradu, & dignitate patientis iniuriam.

6. Item statuimus, quòd fratres nostri arma non habeant, neque teneant, neque portent, sed nec custodiant, nec haberi, portari, aut custodiri ab alijs faciant ad suos proprios vsus, nec aliorum intra Conuentum, vel extra, vel in Capitulis, aut congregationibus quibuscunque, vel in vijs sub pœna priuationis vocis, & loci, nisi forrè de licentia sui Superioris in casu necessariò si contigerit. Quod si in aliqua Prouincia, vel regione decretum extet Pontificium per quod strictius inhibeatur armorum detétio intra claustra regularia, vt in Ducatu Mediolanen-

ſi, omnino obſeruandum eſt, idque non prætermittendum de præcepto Principis, aut Magiſtratus ſæcularis, nec fratres noſtri quæcunque alia periculoſa portent, vel nociua præter paruum temperatorium ad pennas aptandum, nec cultelli habeant ferrum vltra longitudinem manus ex tranſuerſo, ſub pœna grauis culpæ per trer dies infligenda.

CAPVT XI.

De proprietarijs, & eorum pœnis.

1. VT à nobis proprietatis vitium, vtpotè radix omnium malorum omnino eradicetur: ſub pœna grauioris culpæ, Superior bis in anno nempe in vltima hebdomada aduentus, & in hebdomada in qua cadit commemoratio ſolemnis Virginis Mariæ præmiſſa trina monitione declaret, & denunciet per ſcripturam excommunicatos eos omnes, & maledictos à Deo viuente, & in poteſtatem diaboli traditos, qui ſub quocuuque prætextu ſeruarent, aut retinerent apud ſe, aut apud alios abſque notitia, & ex expreſſa licentia Superis rem aliquam notabilem quæ poteſt eſſe materia peccati mortalis contra votum paupertatis, vt pecuniam, libros, veſtes, & ſimilia quouis modo eſſent procurata communitati, aut cuidam eius membro erogata, in cuius fine anathematis, omnes Religioſi dicent. Amen.

3. Declaramus abſolutionẽ à vitio proprietatis ſoli Reuerendiſſimo Patri Generali Ordinis eſſe reſeruatam,

14. Si quis proprietarius conuictus fuerit, aut confesſus ſufficienter à quocunque ſuo iudice, data ſententia carceri tradatur, nec poſſit liberari niſi per Priorem Generalem.

5. Si quis inuentus fuerit proprietarius in morte, & ſic obierit extra cœmeterium fratrum putà in horto vel alibi abſque diuino officio ſit ſepultus, niſi forſam ex tali ſepultura ſcandalum ſæcularibus generaretur.

6. Ordinamus quod bona apud proprietarios, apoſtatas, appellantes à correctione regulari, fures, latrones, & alios criminoſos inuenta per Priores locales capiantur, & in vſus communitatis Conuentuum de ſcitu, & aſſenſu trium cuſtodum conuertantur, vel per Priorem Prouincialem in vſus communitatis Prouinciarum, vel per Priorem Generalem in vſus communes totius Ordinis applicentur.

CAPVT XII.

De pœna leui, media, & graui.

1. POEna leuis eſt Pſalmum aliquem iuſſu Superioris genibus flexis recitare, terram, vel pedes fratrum humiliter deoſculari, vultu terræ affixo, aut extenſis brachijs in modum Crucis orationem aliquam recitare. Hæc pœna incurritur, tum propter defectus, quibus apponitur, tum propter ſimiles leues culpas de quibus, tum fratres, tum ſacerdotes veniam petere tenentur

in Refectorio, vel Capitulo, & pœnitentiam sibi iniunctam subire.

2. Pœna media est, in refectorio aliquid de obsonijs relictum, genibus flexis comedere : disciplinam quandiu durat Psalmus Deprofundis per se, vel per Superiorem excipere, durante prima mensa officium sancti Angeli custodis recitare (quam pœnam ijs potissimum volumus imponi qui sua negligentia à matutinis abfuerint) prædicta hæc pœna incurritur ob culpas, & his similes, quibus apponitur.

3. Pœna grauis est in pane, & aqua vnum diem ieiunare, vnam disciplinam per vnum miserere in Refectorio per se recipere, vel per Superiorem, septem Psalmos pœnitentiales absque caputio genibus flexis in refectorio recitare; hanc pœnam incurrunt omnes qui defectus ob quos incurritur, & similes committunt. Sed notandum particulas quibus explicatur esse disiunctiuas, ita vt qui septem Psalmos recitauerit non ieiunet, sed sit Præsidentis, quam voluerit imponere.

CAPVT XIII.

De pœna grauiori.

1. GRauior pœna est, in Capitulo, vel Refectorio recepta per se, vel per Superiorem disciplina iussu Præsidentis ad cellam assignatam ire, & in ea manendo vsque ad horam comedendi, qua data vbi fratres mensæ accubuerint veniat frater cum cappa alba in refectorium, vbi ad terram pane, & aqua vescetur, nisi ei aliquid à Priore misericorditer concedatur.

ad cellam redeat, in ea mansurus per duos, aut plures dies pro qualitate delicti.

2 Quandiu erit iu pœnitentia non faciet sacrum, non communicabit,necEcclesiam cum alijs ingredietur,nemo ipsum alloquitur, nec ipse alterum, nisi quis ad ipsum confortandum per Priorem mittatur : nulli intersit electioni, sed si electionem aliquam ipso existente in pœnitentia fieri opporteat, vel differatur vsque ad paractam pœnitentiam, aut ipse à pœnitentia releuetur, vt intersit electioni.

3 Nullus audeat se coniungere illi, vel ei loqui, vel ille alteri, nec ei aliquid mittere sine Superioris licentia speciali, vt cognoscat se ita sequestratum esse à consortio alcorum hominum, vt per pœnitentiam redeat ad consortia Angelorum.

4 Illi autem per quorum excessus prædictos, & alios citra grauissimam culpam religio nostra in sæculo notabiliter scandalisata fuerit, vel qui occasionem notabilis scandali dederint pœnam prædictam totaliter sustinebunt, & ad omnes horas, vel gratias ante portam, vel ostium oratorij fratribus intrantibus postrati iaceant.

5 Qui autem adiudicat⁹ fuerit vt super terram panem, & aquam comedat per tot dies, statuimus quòd tunc talis pane, & aqua vescatur super asserem nudum, sedens, in cappa humiliter terram. Volentes quod ipse ibidē sedeat,& expectet vsque ad vltimum signum completæ refectionis omnium aliorum,& tunc alijs surgentibus de mensa ipse de terra surgat, & vsque ad chorum post Nouitios, & post carentes voce, & loco ad gratias vadat, cum non sit ab Ecclesia, nec ab aliorum fratrum consortio sequestratus, sed solum pœnitentiæ in pane, & aqua adiudicatus.

6 Volumus tamen pro ampliori fratrum pace, & tranquillitate, quòd quando grauior pœna erit iniungenda,

præsi-

præsidenti in Capitulo absente fratre, de quo agitur, declaret Conuentui culpam dicti fratris, & pœnam scriptam, vel æquiualentem fratri confesso, aut conuicto absque cuiusquam contradictione imponat.

7. Hæc pœna incurritur, tum propter delicta, quibus in Constitutionibus apponitur, tum propter similes culpas graues.

CAPVT XIV.

De pœna grauissima.

1. POEna grauissima est detrudi in carcerem, ibique permanere tempore per statuta definito, vel donec per Prouincialem, si Constitutio ei concedat, vel per Capitulum Prouinciale, si ei reseruetur, vel per Patrem Generalem, vel Capitulum Generale, prout loquens Constitutio de tali crimine certius informabit, cum eo dispensatum fuerit.

2. Item si quis in quodcunque lapsus fuerit crimen pro quo aliàs voce, & loco caruit, vel caret de præsenti, pro lapsu incarceretur, donec per Capitulum Generale misericorditer liberetur, nisi fuerit casus in quo restitutio vocis spectet ad Capitulum Generale, vel ad Patrem Generalem.

3. Item si quis infametur de crimine aliquo, aut notetur, propter quod, si verum esset, meritò puniretur pœna carceris, si de eius fuga verisimiliter timeatur;

ſtatuimus, quòd Præſidens in Conuentu poſſit ipſum in firma cuſtodia retinere, etiam intra carcerem, ſi neceſſe fuerit, & locum alium non habuerit tutiorem, ipſum etiam vinculando, non per modum carceris, ſed per modum cuſtodiæ, ne euadat quouſque de crimine prædicto fuerit informatus, mandantes eidem Præſidenti, quòd ſtatim, & celeriter procedat ad inquiſitionem faciendam de crimine ſupradicto, & ſecundùm quod tunc inuenerit per ſcrutinium, & inueſtigationem habeat iudicare, vel culpabilem, vel purgandum, aut punire ſecundum demerita, aut reddere innocentem, non intendentes, quòd talis frater, pro eiuſmodi cuſtodia locum, & vocem amittat, niſi contra ipſum lata fuerit ſententia, & debitè executa.

4. Quicunque autem incarceratus fuerit, ferijs ſecundis, quartis, & ſextis ieiunet in panè, & aqua, niſi de licentia Prioris aliquid ſibi miſericorditer ſubminiſtretur; ſtatuentes quòd quicunque iuſtè incarceratus fuerit, locum, & vocem ſe nouerit perdidiſſe.

5. Si autem per negligentiam, aut per malitiam cuſtodis carceris, vel alterius fratris, aliquis incarceratus fugerit, ille per cuius malitiam, aut negligentiam fugerit cuiuſcunque gradus, aut Præſidentiæ fuerit, incarceretur loco fugientis, quouſque per illum, per quem poterit liberari, fugiens liberetur.

6. Si quis incarcerato limam, malleum, aut quodcunque inſtrumentum aliud tradiderit, vel tradi procurauerit ad infringenda, vel ſoluenda vincula quoquomodo, ſeu talia inſtrumenta præſtiterit euadendi, licèt non euaſerit, pœnam carceris ſuſtineat per viginti dies: ſi autem euaſerit, carceri mancipetur ſine ſpe

gratiæ,quandiu ille cui dedit auxilium vt euaderet,debuit remanſiſſe.

7. Item ordinamus quod nullus frater cuiuſcunque gradus, aut conditionis exiſtat, ingrediatur ad incarceratos, cauſa viſitationis, aut miniſtrationis, aut quouis alio modo ſine licentia ſui Superioris ſpeciali,ſub pœna carceris, tam ingredienti, quam cuſtodi permittenti infligenda.

8. Etiam mandamus quod in quolibet Conuentu carcer conſtruatur : quòd ſi Prior fuerit in conſtruendo carcere negligens repertus, ab executione officij ſui ſuſpendatur, ſubiacendo pœnæ grauis culpæ, quouſque carcerem procurauerit conſtrui.

9. Item circa pœnas ſupradictas ſtatuimus, quòd fratribus aſſuetis per negligentiam, aut malitiam leui culpæ, pœna leuis mutetur eis in mediam, & aſſuetis mediæ, illa mutetur in grauem, & aſſuetis graui illa mutetur in grauiorem, & aſſuetis grauiori, illa mutetur in grauiſſimam, & ſic ſemper aggrauantibus culpis aggrauetur pœna donec tales emendentur.

10. Hæc pœna incurritur propter caſus quibus in his Conſtitutionibus apponitur, & propter ſimilia delicta, & eſt pœna apoſtatarum, rebelium, contumacium, inobedientium,conſpiratorum,& huiuſmodi, prout fuſiùs in his Conſtitutionibus explicatur.

CAPVT XV.

De pœna priuationis vocis, & loci.

1. POEna priuationis vocis, & loci quandoque incurritur infligenda, quando nimirum fertur sub his præcisè verbis, sub pœna priuationis vocis, & loci; incurritur verò inflicta ipso facto, quando apponuntur hæc verba, ipso facto, ipso iure, &c.

2. Intelligitur ipso facto, seu de facto priuatus, quando quis in Capitulo conuictus, aut confessus fuerit coram Superiore suo, quia ex tunc, sine alia sententia inferenda non potest ritè locum, nec vocem habere, donec sibi restituta fuerit per eum qui restituendi habet authoritatem.

3. Priuatus autem voce, & loco non fit de gremio cuiuscunque Capituli, nec vocem, & locum habeat in electione quacunque, actiuè, vel passiuè, nec statum aliquem obtineat in Ordine, sed dum in aliquo Capitulo Conuentuali fuerit, dicat post Laïcos, & Nouitios culpas suas, & recepta proinde pœnitentia antequam ad culpas aliorum procedatur exeat, & recedat de Capitulo.

4. Statuimus quòd priuatus voce, & loco vltimum locum teneat in choro, Capitulo, & Refectorio iuxta Nouitios, & etiam vbicunque fratres fuerint congregati: Quòd si voce, & loco priuatus alium locum quàm vltimum, vt dictum est, tenere præsumpserit, ex tunc ad recuperandam vocem sit inhabilis ipso facto.

5. Hæc pœna incurritur propter casus expressos in his Constitutionibus.

CAPVT XVI.

De pœna suspensionis, depositionis ab officio, & inhabilitationis ad eadem officia.

1. POEnæ suspensionis ab officio, sicut & depositionis ab officio, & inhabilitationis ad officia incurruntur eodem modo, quo pœna priuationis vocis & loci, scilicet vel infligendæ, vel inflictæ ipso facto, cum non apponuntur hæc verba, ipso facto, ipso iure, &c. Intelligitur tantùm esse in Superiore ius deponendi, suspendendi, inhabilitandi, &c. Quando additur ipso facto intelligitur quis depositus suspensus inhabilis; quando videlicet in Capitulo, aut visitatione fuit conuictus, aut confessus coram suo Superiore, quia tunc absque alia sententia manet depositus, suspensus, & inhabilis; & notandum quòd depositus in Capitulo, aut visitatione, nec in sequenti pro eodem officio reeligi, etiam in alijs Conuentibus potest.

CAPVT XVII.

De sententia excommunicationis.

1. Pœna excommunicationis quandoque incurritur infligenda,& quandoque inflicta, & quandoque ab ordine ipso facto lata est, et quandoque á iure; ab Ordine lata dicitur ipso facto, quando solum ab Ordine est imposita, excommunicatio autem à iure incurritur ipso facto in casibus expressis sub tali pœna, vt recensetur in his Constitutionibus, & multis alijs,quæ hic recenseri non possunt.

2. Poterit autem Prior Prouincialis in sua Prouincia, & localis in suo Conuentu facere aliqua particularia statuta in Conuentibus, sub pœna excommunicationis ipso facto transgressoribus infligenda, si necesse fuerit, & honestum, & eis videbitur expedire: caueant autem Superiores, ne facilè suos inferiores excommunicationis pœna afficiant ,sed ante pœnis in statutis expressis contra ipsos procedant, itaut excommunicatio, vt sacrum docet Concilium Tridentinum, ad grauiora crimina reseruetur, & eam pœnam criminibus obstricti magis extimescant.

3. Omnis autem excommunicatus quacunque excommunicatione maiori, non ingrediatur Ecclesiam, Capitulum,seu alijs actibus communibus non intersit, sed neque electionibus quibuscunque, quinimò quandiu steterit sic, ab omnibus euitetur,si fuerit talis declaratus,vel publicus Clerici percussor.

4. Excommunicatus, quando non fuerit ad Dominum Papam mittendus, per Priorem Generalem, aut Prouincialem ſuum, aut per illum, cui ſuper hæc commiſiſſent vices ſuas, abſoluatur in publico, facta debita ſatisfactione, ac ſalutari pœnitentia peracta; & ſi quis in foro conſcientiæ à ſuo Priore iuxta Priuilegia regularium fuerit abſolutus, iterum in publico abſoluatur, vt ſupra. Quare ſi contigerit aliquem excommunicatum per manuum violentarum iniectionem in alium, in foro conſcientiæ abſolutionem obtinuiſſe, & poſtea ad Prouincialis, vel alterius Superioris notitiam peccatum alia ratione deferatur, abſolutio in foro conſcientiæ conceſſa nullatus quoad forum externum ſuffragetur, ſed pœnis in Conſtitutionibus deſcriptis omnino ſubijciatur, ac ſi nunquam fuiſſet à tali cenſura abſolutus. Poterit etiã Prior localis abſoluere ſubditum in foro fori à ſententia, quam incurrit ex tranſgreſſione præcepti, per eum ſub pœna excommunicationis ipſo facto dati: in foro verò conſcientiæ vnuſquiſque Superior vtatur iure ſuo.

5. Irregularitas incurritur, ſi quis homicidium voluntariè fecerit, ſi non ordinatus celebrauerit, ſi quis bigamus fuerit, ſi ſibi vel alteri membrum abſtulerit, ſi quis quacunque excommunicatione ligatus fuerit & miſſam celebrauerit, vel aliàs in ſuis ordinibus miniſtrauerit, propter multa alia, quæ in iure habentur: & omnis irregularis ad ſuſceptionem Ordinum, & ad eorum executionem eſt ineptus, donec fuerit cum eo diſpenſatum: cum quibus verò poterunt Prior Generalis, Prouincialis, & localis diſpenſare ſuper irregularitate contracta, potes videre in cap. de eorum officijs, & in Priuilegijs per ſedem Apoſtilicam indultis, maximè per Eugenium quartum, & Xiſtum quartum. Imò Pius quintus conceſſit poteſtatem Epiſcopalem Superioribus regularium ſuper ſuis ſubditis à caſibus reſeruatis, & à

censuris absoluendi.

CAPVT XVIII.

De pœnarum inflictione, & earumdem dispensatione.

1. ADuertendum quod quamuis Constitutiones nostri Ordinis, quantùm est ex se non obligent ad culpam, sed ad pœnam taxatam, vel taxandam, nisi propter contemptum: in praxi tamen vix vnquam fieri potest, vt quis eas sciens, ac lubens transgrediatur, quin peccet, tum propter contemptum, qui sæpius admiscetur, tum propter scandalum pusillorum, tum quia quæ in Constitutionibus præscribuntur, vt plurimum spectant ad votorum obseruantiam.

2. Licèt item pro singulis defectibus sigillatim pœnæ, vt plurimum sint appositæ, quia tamen non possunt singulares defectus omnes notari, statuimus quod si quis de culpa notabili conuictus fuerit, pro qua nulla specialis pœna imponitur, Præsidens in Capitulo assumptis duobus, aut tribus fratribus eiusdem Capituli, quos duxerit assumendos, habito consilio pœnam condignam fratri sic conuicto imponat.

3. Item nolumus Prælatos ita astringi ad has ipsas pœnas, de quarum qualitate, & differentia hic agimus infligendas, vt non possint alias similes, & delictis conuenientes aliquando imponere.

4. Depositio officialium à Conuentu electorum ad Prouincialem primò, ad Priorem item localem de assensu Patrum discretorum pertinet.

5. Et quia quotidie experimur malos ob relaxationem pœnarum deteriores euadere, non liceat pœnas in his Constitutionibus descriptas cuiquam remittere nisi Priori, qui leuem, mediam, & grauem; & Prouinciali qui grauiorem possunt remittere, idque sub pœna depositionis ab officio.

6. Nemini liceat etiam Superioribus pœnam infligere alicui, fratri, aut aliquam correctionem facere in particulari, nisi modo supra posito, & duobus saltem præsentibus fratribus, sub pœna grauis culpæ.

7. Quia quotidie experimur ob adlubescentiam Priorũ in dissimulandis peccatis, & in pœnis relaxandis fratres deteriores euadere, Priores inuigilent errores sine correctione, aut saltem, dum opus fuerit, admonitione non prætermittere.

CAPVT XIX.

Quomodo se gerere debeant Superiores in suorum subditorum correctione.

1. QVò facilius, & commodius Superiores nostri sibi subiectos regere, & in vitæ ac morum honestate cõtinere valeãt ab eis ita tenenda est seueritas vt benignitatis, & mãsuetudinis nunquã obliuiscantur, considerantes se, vt sacri Concilij Tridentini verbis vtamur, pastores esse, non percussores, & quòd propterea

ita præesse sibi subditis debent, vt non in eis dominentur, sed illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque, vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint debitis eos pœnis coërcere cogantur. Quos tamen, si quod per humanam fragillitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt, illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum sæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam cõminatio, plus charitas quam potestas; sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est; vt sine asperitate disciplina populi salutaris, ac necessaria conseruetur, & qui correcti fuerint emendentur, & si resipiscere noluerint, cæteri in salubri eius animaduersionis exẽplo ab ipsis deterreãtur.

2. Quare debet Superior semper per præ oculis habere quod ipse suorum subditorum est, tum Pater, tum Iudex & quod regulariter erga eos debet se gerere tanquam patrem, studendo leniter delinquentes in viam bonam reuocare, & priuato illorũ bono consulere: quando, autem nouerit se paterna charitate illos lucrari non posse, induet Iudicis personam, criminosos debitis afficiendo pœnis propter bonum publicum, quod ex improborum punitione resultat, & quia nonnulli in manifestandis aliorum culpis Prælato, vt Iudici aliquando id faciunt per viam accusationis, per quam deferuntur crimina ad iudicem gratia punitionis cum obligatione probandi, & aliquando per viam denunciationis, per quam Iudici manifestatur crimen, non cum obligatione probandi, sed vt Iudex seruato iuris Ordine corrigat, puniat, & bono communi, prout sibi videbitur prospiciat, quia accusatio inter Regulares eorum paci, & tranquilitati repugnat, raro debent admitti à Superioribus nostris, cum nullum sit crimen, quod non possit per viam denunciationis iuridicè

manifestari,& per eius punitionem bono communi sufficienter consuli.

1. Quando præcedente accusatione, vel denunciatione iuridica, vel diffamatione Superiores contra aliquos criminosos coacti fuerint tanquam iudices procedere,statim absque vlla dilatione, & mora processum legitimè procedendo,summariè tamen, & de plano, ac sine strepitu, & forma iudicij, & non seruatis apicibus iuris conficiant, & absoluant, & consulto Generali Ordinis,si de re graui agatur sententiam proferant,& exequantur, alias transactis duobus mensibus omnia inquisitionis acta contra Regularem inquisitum sint nulla,nisi aliter Pater Ordinis expedire iudicauerit, vel nisi ob nimiam Prouinciarum distantiam, maius fuerit necessarium tempus ad expectandum à Reuerendissimo Patre, iam ob criminis grauitatem consulto responsum, & quoniam interdum in grauissimis delictis cognoscendæ veritatis necessitas compellit Superiorem, vt quam sponte non potest habere confessionem diuersis cruciatibus è latebris eruere cogatur,& ob id licitum sit nonnunquam Sacerdotem,& Regularem torturæ subijcere.Statuimus,vt si quis ex nostris Religiosis præsumpserit committere aliquod crimen, quod in sæcularibus iudicis vltimo supplicio,aut grauissima alia pœna corporali soleat puniri, licet alia pœna imponenda sit in Ecclesiastico foro,poterit Superior in præsentia duorum fratrum ex antiquioribus, & de eorum assessu, consulto prius aliquo iurisperito eum torquere per fratres,& aliquando etiam per ministros sæculares, si talis nimirum sit infligenda tortura, quòd pro illa inferenda Religiosi peritiam non habeant; dummodo contra inquisitum probata sint tam magna,& vrgentia indicia, vt ex eis delictum ab eo fuisse commissum magis, quàm semiplenè constet, & ea reus non diluerit, neque purgauerit, nec alia ratione quam per torturam veritas ha-

beri poſſit.

4. Item quia nonnulli fratres adeo facinorosè, poſſunt viuere, vt (quòd abſit) non erubeſcant ſe tàm enormibus, immiſcere delictis, quòd neceſſe ſit ad exemplum, & timorem aliorum, & ad ſatisfaciendum publico ſcandalo ex eorum prædictis moribus exorto, eis acerbam Triremium pœnam infligere; ſtatuimus vt iuſtè damnati, & deducti ad Triremes in perpetuum arceãtur ab altari, & ſacris miniſterijs, officijſque omnibus, dignitatibus, & præeminentijs, locoque, & voce careant, ita vt nec Prior Ordinis poſſit ſuper premiſſis cum illis gratiosè diſpenſare, poterit tamen ſi conſtiterit aliquem iniuſtè condemnatum fuiſſe ad Triremes, & eò deductum innocentem declarare, & de iure abſoluere.

5. Item, ſi aliquando nonnulli reiecta omni Regulari diſciplina tanto eſſent dedecori, & detrimento Religioni noſtræ, vt tanquam incorrigibiles ab Ordine expelli deberent, ſciendum eſt quòd de mandato Sacræ Congregationis Concilij è ſpeciali facultate Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani VIII. facto nullus imposterum eijciendus eſt, qui non fuerit verè ſecundum iuris communis diſpoſitionem incorrigibilis, & inſuper, vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia in carceribus (ob quam cauſam vnaquequæ Prouincia debet, habere ad hunc effectum aliquem priuatum carcerem.) probatus: elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua peruicacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat tanquam pecus morbida, & membrum putre, poterit eijci ſed à ſolo generali Ordinis, de conſenſu, & aſſenſu ſex patrum ex grauioribus Religioſis eligendis in ſingulis Capitulis Generalibus, inſtructo tamē proceſſu prout infra, & plenè probatis cauſis expulſionis, ſecundum ſacrorum Canonum præſcriptum, & illicò debet Generalis ſenten-

tiam expulſionis notificare Ordinario loci cuius iuriſdi-
ctioni, & obedientiæ eiectus habitu Clericali indutus ſubiectus erit, admonebitque ipſum eiectum, vt dicetur §. 12. Cæterum Superiores memores ſint paternæ charitatis, & manſuetudinis,quam profitentur, nihilque intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum, atque extremum expulſionis remedium experiantur; idque eò magis quòd ſubditorum Sanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſupremo Dei Iudicio de eorundem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

6. Vt autem aliquam rationem procedendi Canonicè contra incorrigibiles præſcribamus, propter caſus ad incorrigibilitatem ſpectantes enumerabimus, deinde procedendi modum aſſignabimus. Caſus igitur hi ſunt, videlicet dimiſſio habitus animo apoſtatandi, vagatio extra Conuentum per menſem ſine obedientia & retento habitu, percuſſio grauis furtum in re graui, lapſus carnis cum quacunque tertia perſona, rebellio contra Superioris mandatum, falſificatio litterarum ſeu ſigillorum Superiorum, falſa accuſatio ſeu teſtimonium falſum, recurſus ad tribunalia ſæcularia, conſpiratio contra quemcunque Superiorem ſcribentes libellos famoſos ſeu litteras infamatorias, luzores ludis prohibitis, ingredientes monaſteria monialium, introducentes mulieres ad malum finem intra ſepta Conuentuum, ſcribentes litteras amatorias monialibus, venefici, percutientes Superiores, & alia ſimilia flagitia enormiaque delicta pluries repetita. Ita quòd ſi Religioſus criminoſus retineatur in Ordine alij fratres eius

exemplo possint infici, & extranei de tali retentione scandalizari. Si quis ergo in prædictis casibus deliquerit primo conficiendus erit legitimè processus secundum ritum seruari solitum inter Regulares, & per sententiam puniendus reus: quòd si secunda vicè in idem, vel aliud graue, & enorme delictum inciderit facto denuò processu per sententiam puniendus est, & monendus, vt ab huiusmodi excessibus impósterum caueat, sub pœnis incorrigibilib9 propositis. Si tertio demũ peccauerit (vt præfertur) processu formato, & sententia lata ad pœnas debitas condemnabitur, & præsertim ad carcerem vnius anni, quo anno elapso, si non resipuerit, sed animo indurato perseuerauerit in malo, ne tanquam morbida pecus totum corrumpat ouile eijcietur à Generali seruatis seruandis.

7. Declaramus autem quòd si condemnatus ad carcerem, per annum cogendus est ad ieiunium in panè, & aqua ferijs 2.4.& 6. ad minus iuxta dispositionem nostrarum Constitutionum de pœna incarcerati, nisi de licentia Prioris aliquid ei misericorditer ministretur, idque in casu in quo de consensu medici iudicauerit talem misericordiam, & indulgentiam esse necessariam ad bonam valetudinem incarcerati conseruandam, alioquin deponendus erit ipse Prior ab officio suo à Superiore maiori.

8. Ordinamus autem ad cauendas omnes lites, vt in litteris, seu sententijs expulsionis contra fratres à nostra sacra Religione segregandos ista inseratur clausula, omnia nihilominus iura, actiones, & successiones, tam ex iure communi, quàm ex priuilegijs, seu statutis nostri Ordinis occasione tuæ professionis ipsi Ordini in genere, aut alicui Prouinciæ Congregationi, seu Conuentui ipsius in specie qualitercunque pertinentia eisdem reseruamus, & in nullo pœnitus derogamus.

9. De tribus Superior Religiosum eiectum admonebit

Primum quòd per expulsionem non soluuntur solemnia, & essentialia vota Religionis ab eo in professione emissa, sed solum suspenduntur in quantùm status eiectorum non patitur, quare ad eorum obseruantiam illum teneri quantùm poterit; in ipso statu expulsionis, quamdiu in illo permanebit. Secundum quòd in conscientia tenetur se corrigere, & emendare, vt denuò dignus reddatur quòd ad misericordiam Religionis recipiatur. Tertium quòd eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinũ, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. Postremo sciendum à prædicta sacra Congregatione authoritate eiusdem sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. innouatam fuisse Constitutionem fœlicis recordationis Greg. IX. in cap. fin. de Reg. & præterea declaratum eam Constitutionem in his quoque vendicare sibi locum, seruandamque esse qui iustè definitiuèque, ac iuris Ordine seruato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij eius conscientiam seriò onerando.

NOS QVI CONSTITVTIONES EIVSMODI à dilectis filiis nostris Antonio tituli S. Honufrij præsbytero, ac Martio Ginetto sancti Angeli in Foro piscium Diacono, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Religiosorum virorum opera in illis ponderandis, & examinandis adhibita recognosci, & approbari mandauimus; Pijs dicti Theodori votis, quantùm cum Domino possumus annuere, illumque spiritualibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum,

harum ſeric abſoluētes,& abſolutum fore cenſentes: necnon dictæ Religionis, & eiuſdem reformationis proſperam, fœlicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus, ſupplicationibus eiuſdem Theodori nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Conſtitutiones præinſertas huiuſmodi Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes à quarumlibet aliarum Conſtitutionum dicti Ordinis obligatione abſolutos eos prædicti Ordinis profeſſores, qui de præſenti Generalis, & ſuorum ſucceſſorum aſſenſu prædictas Conſtitutiones, & in eis præſcriptum ſtrictè viuendi modum profitebuntur; cumque ſemel eas profeſſi fuerint ab earum obſeruantia nequaquam diſcedere, nec ad quamcunque aliam Congregationem, niſi de ſpeciali noſtra licentia tranſire poſſe, ſed iuxta eas ſemper viuere teneri, eaſque Conſtitutiones, ac præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. DATVM Romæ apud Sanctum Petrum ſub annullo piſcatoris die XVIII. Ianuarij M. DC. XXXVI. Pontificatus noſtri Anno XIII.

M. A. Maraldus.

LICENTIA REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.


FRater Theodorus Stratius Magiſter, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, antiquæ obſeruantiæ regularis, dilecto nobis in Christo admodum R.P.Ioachimo à ſancto Ioanne noſtræ Prouinciæ Aquitaniæ profeſſo ſacerdoti, & Prouinciali ſalutem in Domino, & in agendis Spiritus ſancti conſilium; cum diplomate Apoſtolico cautum ſit, iuxtaque noſtrorum Capitulorum Generalium decreta ſtatutum, vt nemo ex noſtris Regularibus ſub pœna excommunicationis quodcunque opus præſumat typis mandare, abſque noſtra ſpeciali licentia in ſcriptis obtenta, ne fratres noſtri ab hinc quibuſdam annis in aliquibus Prouincijs Ordinis ſtrictè iuxta noſtram antiquam obſeruantiam viuentes, alijſque in Prouincijs in futurum victuri legitimis carerent legibus, cum totius Ordinis communes leges pro Reformatis non ſufficerent, alias pro arbitrio neceſſitate dictante efformare, aut excogitare cogerentur, obuiam ire cupientes multorum varijs capitibus, & quotquot reformationem iam profitentur, aut in futurum amplecti meditabuntur inuenirentur vniformes legitimis, perpetuiſque ſub legibus à legitimo Legiſlatore emanatis, quæ à quibuſcunque alijs eos exonerando (ne multiplicitate ſtatutorum obtunderen-

tur) possent in conscientia semper obligare : Ideo quas nuper eo fine à sanctissimo Domino nostro Vrbano miseratione diuina Papa VIII. per breue cum earum insertione sub die 18. Ianuarij præsentis anni iussu eiusdem correctas, approbatas obtinuimus, vt iuxta dicti Summi Pontificis mentem exoptantibus eas dignis operariis communicare valeamus;per præsentes tibi præfato Prouinciali Regulam nostram fideliter cum suis diplomatibus, & Constitutiones etiam cum dicto Breue insertas admodum R. P. Magistro Ioanni Tuaut in ipso suo Româ discessu mense Februario proximè elapso à nobis consignata typis absque dilatione, à quocumque tibi benè viso Typographo mandari cures licentiam impertimur. In quorum fidem has litteras subsignauimus, ex sigillo officij nostri munitas fieri iussimus Romæ die 1. Nouembris 1636.

F. THEODORVS STRATIVS,

Generalis Carmelitarum Antiquæ obseruantiæ Regularis.

F. FRANCISCVS MONTIVS
Secretarius Ordinis.



SVMMARIA DIVISIO TOTIVS OPERIS.

REGVLA primitiua Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha eis tradita, à Speculo Ordinis fideliter desumpta. pag 3.

REGVLA Alberti prout ab Innocentio IV. correcta, declarata, moderata, & confirmata; ex codicibus seu registris vaticani de verbo ad verbum fideliter desumpta fol. 465. Bulla 239. anno 5. Pontificatus Innocentij IV. 1247. Calendis Octobris. pag. 9.

BVLLA Eugenij IV. prout adest in codice vaticano 214. In qua moderantur Alberti Regulæ Capitula de abstinentia carnium, de ieiunio, & de mansione in cellulis: atque conceditur fratribus dictam regulam sic moderatam obseruantibus indulgentia plenaria in articulo mortis. p. 17.

BVLLA Pij II. pro declarando dubio moderationis Regulæ ab Eugenio IV. editæ circa ieiunium, & Generali dispensandi facultas super his conceditur. pag. 22

BVLLA Xysti IV. Qua mitigatio Innocentij IV. Super regulam Alberti confirmatur. Confirmatio Alexandri IV. & Nicolaï IV. roboratur: sicut & moderatio Eugenij IV. & Pij II. super eandem regulam approbatur, confirmatur, & innouatur, eamque sic moderatam obseruantibus plenaria indulgentia semel in vita, & in articulo mortis conceditur. pag. 24

INITIUM Breuis Apostolici Sanctissimo D. Domini nostri Vrbani Papæ VIII. has Cionstitutiones confirmantis. pag. 27




CAPITA PRIMÆ PARTIS,

DE MONASTICO Regimine.

CAp. I. *De receptione locorum, & formâ ædificandorum Conuentuum.* pa. 29
Cap. II. *De loco solitudinis, de Anachoretis, & Heremitis.* p. 34
Cap. 3. *De Paupertate.* p. 42
Cap. IV. *De Castitate.* pag. 48
Cap. V. *De Obedientia.* pag. 50
Cap. VI. *De vita communi, & regulari.* pag 52
Cap. VII. *De Officio Diuino, seu de Oratione vocali.* p. 57
Cap. VIII. *De Oratione mentali.* pag. 63
Cap. IX. *De silentio & locutione fratrum.* pag. 66

Cap. X. De ieiunio & comestione fratrum. p. 67.
Cap. XI. De mansione in Cellulis & dormitione fratrum. pag. 75.
Cap. XII. De honestate morum intra Monasterium seruanda. pag 78.
Cap. XIII de honestate morum extra Monasterium seruanda. pag. 82.
Cap. XIV. De Hospitibus & itinerantibus. p. 87.
Cap. XV. De vestimentis fratrum, & calceamentis. pag 93
Cap. XVI. De Examine ad Ordinem nostrum admitti postulantium. pag 96
Cap. XVII. De Ordine domus Nouitiatus, & probatione Nouitiorum. pag. 102
Cap. XVIII. De Nouitiorum institutione. p. 106
Cap. XIX. De Professis. p. 111
Cap. XX. De fratribus Laicis. pag. 115
Cap. XXI. De Sacerdotibus & Confessarijs. p. 120
Cap. XXII. De Concionatoribus. pag 125
Cap. XXIII De negotijs sæcularibus & alienis, quæ specialiter fratribus prohibentur. pag. 130
Cap. XXIV. De studijs & studentibus in Generali. pag. 132
Cap. XXV. De Ordine vitæ Regularis in Conuentibus studiorum. pag 137
Cap. XXVI. De sigillis & litteris. pag. 139



CAPITA SECVNDÆ PARTIS DE REGIMINE OECOnomico seu domestico.

Cap. I. De officio Prioris localis. pag. 145

Cap. II. De Capitulo Conuentuali. pag. 151

Cap. III. De offisio Subprioris pag. 157

Cap. IV. De officio Magistri Nouitiorum p. 159

Cap. V. De officio Monitoris. pa. 163

Cap. VI. De Ecclesia & officio Sacristæ. p. 164

Cap. VII. De officio Discretorum, seu Clauariorum, & de communi custodia bonorum. pag. 170


Cap. VIII. De officio Emptoris, & Procuratoris Conuentus. pag. 175

Cap. IX. De Secretario Conuentus & Capituli Conuentualis. pag. 179

Cap. X. De officio Procuratoris communis pro qualibet Prouincia in Curijs supremis. pag. 18[illegible]

Cap. XI. De Bibliotheca & eius custode. p. 185

Cap. XII. *De Ianitore.* p. 187
Cap. XIII. *De Custode vestium.* p. 190
Cap. XIV. *De Sartore, & Sutore.* pag. 191
Cap. XV. *De Officio Refectoriarij, & Ministri culinæ.* p. 193
Cap. XVI. *De Valetudinario, Infirmis, & infirmorum Custode.* pag. 196
Cap. XVII. *De Fratribus decedentibus, & suffragijs pro ijsdem faciendis.* pag. 200
Cap. XVIII. *De Monialibus.* p. 202




CAPITA
TERTIÆ PARTIS.
DE REGIMINE POLITICO.

Cap. I. *De Generali Capitulo, & eius Præsidente, & qui possunt interesse.* p. 214
Cap. II. *Quid agendum sit absente Priore Generali.* pag. 217

Cap. III. *Quid agendum sit mortuo Priore Generali.* pag. 218
Cap. IV. *De modo celebrandi Generale Capitulum.* pag. 220
Cap. V. *Quid agendum sit præsente Priore Generali.* pag. 222
Cap. VI. *De Electione Prioris Generalis.* pag. 227
Cap. VII. *De Diffinitorio ipsius Capituli Generalis.* p. 230
Cap. VIII. *De publicatione, & litteris, ac sigillationibus actorum Capituli Generalis.* pag. 231.
Cap. IX. *De terminatione ipsius Generalis Capituli.* p. 233
Cap. X. *De Officio Prioris Generalis.* pag. 236
Cap. XI. *De Capitulo Prouinciali, quando, & de quibus Capitulum Prouinciale sit celebrandum.* pag. 245
Cap. XII. *Litteræ Socij ituri ad Capitulum Prouinciale.* pag. 251
Cap. XIII. *De forma celebrandi Capitulum Prouinciale.* p. 253
Cap. XIV. *Electione Definitorum.* pag. 257
Cap. XV. *De culpa Prioris Prouincialis facienda.* pag. 258
Cap. XVI. *De Electione Prouincialis.* pa. 262
Cap. XVII. *De Electione sociorum Prouin-*

cialis ituri ad Generale Capitulum ; & Definitoris. p.266
Cap. 18. De electione Vicarij, & eius potestate. p.269
Cap. 19. De Definitorio & Definitoribus, & de processu Capituli Prouincialis. pag.274
Cap. XX. De officio Prioris Capituli Prouincialis. pag. 281
Cap. XXI. De officio Auditorum causarum pag. 282
Cap. XXII. De officio scribæ. pa. 283.
Cap. 23. De Præfectis, Prouisore, & Cursore. p.285
Cap. 24. De Depositario. pag. 286
Cap. 25. Quid à Gremialibus, cæterisque ad Capitulum conuocatis faciendum durante Capitulo. p.287.
Cap. XXVI. De terminatione Capituli Prouincialis. p.288
Cap. XXVII. Quid agendum sit Prouinciali absente, mortuo, vel assumpto. p.291
Cap. XXVIII. De Congregatione inter vnum & alterum Capitulum Prouinciale celebranda. p.292
Cap. XXIX. De officio Prioris Prouincialis. pag.295
Cap. XXX. De officio socij Prouincialis. p.303
Cap. XXXI. De visitationibus R. P. Prouincialis, vel eius Commissariorum. pag.305
Cap. XXXII. De scrutinio & Inquisitione Prælatorum, aut visitatorum, & alijs faciendis in visitatione. pag.310

Cap. XXXIII. *Mortuo Priore locali de eius electione quid faciendum.* pag. 320
Cap. XXXIV. *De electione socij Prioris ituri ad Capitulum Prouinciale.* pag. 323
Cap. XXXV. *De electionibus in communi.* pag. 326



CAPITA
QVARTÆ PARTIS
DE CVLPIS, ET POENIS, & pœnitentijs.

CAp. I. *De Apostatis, & vagè discurrentibus.*
Cap. II. *de inobedientibus, contumacibus, seu rebellibus, & vsurpantibus officia maiorum* pa. 337.
Cap. III. *De appellationibus, & eis adherentibus.* pag. 339
Cap. IV. *De conspiratoribus, & colligationem facientibus.* pag. 341

Cap. V. *De recurrentibus ad sæculares pro sua promotione, aut defectuum purgatione.* p.343
Cap. VI. *De dantibus operam studijs, artibus, & ludis prohibitis.* pag.344
Cap. VII. *De peccantibus contra castitatē.* p. 347
Cap. VIII. *De diffamantibus & conuitiosis.* p. 349.
Cap. 9. *De diuisionibus, & partialitatibus cauendis.* pag. 352
Cap. X. *De Minantibus, Percutientibus, & arma tenentibus.* pa. 354
Cap. XI. *De proprietarijs, & eorum pœnis.* p. 357
Cap. XII. *De pœna leui, media, & graui.* pa. 358
Cap. XIII. *De pœna grauiori.* pag. 359
Cap XIV. *De pœna grauissima.* p. 361
Cap XV. *De pœna priuationis vocis, & loci.* p. 364
Cap XVI. *De pœna suspensionis, depositionis ab officio, & inhabilitationis ad eadem officia.* p. 365.
Cap. XVII. *De sententia excommunicationis.* p. 366
Cap. XVIII. *De pœnarum inflictione, & earumdem dispensatione.* pa. 368
Cap. XIX. *Quomodo se gerere debeant Superiores in suorum subditorum correctione.* pa. 369.
Finis Breuis Apostolici Sanctissimi D. Domini nostri Vrbani Papæ VIII. p. 375


ERRATA IN NONNVLLIS exemplaribus.

p. paginam denotat, l. lineam, e. erratum, c. correctionem.

P. 33. l.34. e. ,rato c. orato-. p. 35. l. 28. e. heremiticis c. heremiticas. p. 39. l. 8. e. ſt'udij. c. ſtudij. p. 44. l. 1. c. coopertorijs. c. coperturis. p. 45. l. 18. e. Pontificium. c. Pontificum. p. 62. l. 4. e. horo. c. Choro. p. 74. l. 21. e. emedat. c. comedat. p. 107. l. 1. e. auſcultates. c. auſcultantes. p. 141. l. 27. e. officicij. c. officij. p. 150. l. 2. c. bns. c. bus. p. 151. l. 13. e. prœ. c. præ. p. 152. l. 7. e. nctæ. c. tc. p. 156. l. 2. e. tibns. c. tibus. p. 160. l. 22. e. nemini. c. nemo. p. 177. l. 14. e. atrea. c. atres. p. 188. l. 33. c. obdio. c. obuio. p. 190. l. 14. e. qnin. c. quin. p. 193. l. 19. e. babeat. c. habeat. p. 214. l. 4. e. opporteat. c. oporteat p. 216. l. 1. e. pluritate. c. pluralitate. p. 219. l. 6. e. prefatum. c. præfatum. p. 220. l. 5. e. commememoratio. c. commemoratio. p. 228. l. 2. e. ſuſſragijs. c. ſuffragijs. p. 226. l. 15. e. eas. c. eos. p. 233. l. 4. c. ſno. c. ſuo. p. 236. l. 2. c. ſuſſragia. c. ſuffragia. p. 234. l. 4. e. efficiantur. c. efficiamur. p. 243. l. 17. e. pto. c. pro. p. 245. l. 5. e. reſtaurarentur. c. reſtaurentur. p. 253. l. 9. e. conſedentibus. c. cōſidentibus. p. 254. l. 13. e. habit Religioni. c. habitum Religionis. p. 276. l. 24. e. debet. c. debét. p. 276. l. 30. e. Prouin

uincailis c.Prouincialis p.280.l.34.e.instructione c.instru-ctiones p.283.l.24.e.Contuum c.Conuentuum p. 293.l.16 e.carente c.carenti p.303.l.20.e. spectentibus c. spectantibus. p.308 l.7.e.inuiolabiter c.inuiolabiliter. p. 312.l. 19. e.vnde c.vnde. p.316.l.6.e.stustiorum c.studiorum. p. 320. l.4.e.temen c.tamen.p.326.l 23. e. inuiolabiter c. inuiolabiliter.p.329.l.5.e. spradictas c. supradictas. p. 329. l. 7. e. Puntifex c.Pontifex.p.334.l.3.e. indicauerint c. iudicauerint.p.340.l.11.e.extiterit c.extiterint.p.ibidem l.18. e.inhabilationem c.inhabilitationem.p.343.l. 23. e. timerè c. temerè. p.347.l.penult.e.impudices c.impudicos.p. 348.l. vltima e. indicem c.iudicem. p. 360. l.3.e. iu c. in p.370.l. 16.e.per. deleatur.p. 367.l.12.e.nullatus c.nullatenus.





SANTIN
Restauro
74

